Tomus X (fasc. III). 10 nov. 1921.

PERIODICA

DE RE CANONICA ET MORALI

UTILIA PRAESERTIM

RELIGIOSIS et MISSIONARIIS

EDIT

ARTHURUS VERMEERSCH e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, ROMAE, IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS

Approbantibus Superioribus ecclesiasticis

BRUGIS

SUMPTIBUS CAROLI BEYAERT

Editoris Pontificii

BARCELONAE

EUG. SUBIRANA

Puertaferrisa

ROMAE (19)

DEPOSITO LIBRI, UNIVERSITA GREGORIANA

Via del Seminario, 120

1921

INDEX RERUM ANALYTICUS

Monumenta

Num. Pag.

SS. D. N. Benedicti Pp. XV

125. Epistola ad R. P. A. Vermeersch, S. I., de tertio centenario ab obitu S. I. Berchmans (9 nov. 1920). 261
126. Epistola Encyclica **Sacra propediem**, de septimo centenario a tertio Ordine Franciscalium condito (5 ian. 1921). 261
127. Epistola ad R. P. Zorell, S. I., de cursu S. Scripturae perficiendo (28 dec. 1920). — *Annotatio*. 266
128. Allocutio consistorialis **Gratum vehementer** (7 mart. 1921) 268
129. Epistola **Cum semper** (10 febr. 1921). — *Annotationes* 269
130. Epistola **Tertii ordinis**, ad R. P. A. Rigo, min. gen. tertii O. S. F. tribuens privilegia (20 febr. 1921). — *Annotationes* 272
131. Epistola encyclica **In praeclara**, de sexto centenario ab obitu Dantis Alighierii (30 apr. 1921). — *Annotatio* 274
132. Epistola **Ubi primum**, ad Em. Card. Logue, arch. Armachamen. de pace in Hibernia reconcilianda (27 apr. 1921). 279
133. Allocutio consistorialis **Causa nobis** (13 iun. 1921). — *Annotatio* . . . 281
134. *(Summatim)* A. Epistolae variae ad episcopos vel privatos 283
B. Sermo ad parochos et ad quadragesimales in Urbe contionatores . . 284
C. Litterae de erigenda delegatione apostolica 284
D. Litterae de nova provincia ecclesiastica erigenda 284
E. Litterae de dioecesibus et quasi-dioecesibus erigendis, mutandis, etc. 285
F. Litterae de Vicariatibus vel Praefecturis apostolicis erigendis, mutandis 285
G. Litterae de basilicis et ecclesiis 285
H. Litterae de abbatia erigenda 286
I. Litterae de indulgentiis et privilegiis 286

S. Congregatio S. Officii

135. Decretum de imaginibus novae scholae pictoriae damnandis (30 mart. 1921). — *Annotationes*. 287
136. *(Summatim)* A. Damnantur libelli periodici et libri 288
B. Submissio auctoris (Dr Wilbrand) 288
C. Declaratur excommunicatio quam incurrit quidam sacerdos 288

S. Congr. Consistorialis

137. Declaratio circa facultates Ordinariorum (7 mart. 1921). — *Annotationes* (cf. **Corrigenda**, p. 332) 289
138. Resolutio super privilegio ordinandi sine litt. dimissorialibus (6 nov. 1921). — *Annotationes* 290
139. *(Summatim)* A. Mutationes in dioecesium finibus, titulo, etc. 291
B. Absolutio cuiusdam sacerdotis a censuris 292
C. Decreta de proponendis ad episcopale ministerium in Scotia et in Brasilia 292
D. Normae de collegio pontificio sacerdotum pro Italis migrantibus. . . 292

MONUMENTA

125. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

EPISTOLA 9 NOV. 1920

Ad R. P. Arth. Vermeersch S. I. de tertio centenario ab obitu S. Ioannis Berchmans

(A. A. S., 3 ian. 1921, 13, 10.)

S. Pontifex laudat propositum celebrandi tertium centenarium ab obitu S. Ioannis Berchmans

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Opportune admodum fit, ut, labente tertio saeculo a piissimo exitu S. Ioannis Berchmans, catholici quidam viri, te duce, consilia inierint eventus huius faustitatem ita celebrandi, ut et illius eximiae sanctitati debitus ubique honor habeatur et in magnum id cedat animarum bonum. Consiliis his congruit propositorum series; quibus si, ut confidimus, efficietur ut vita ac virtutes sanctissimi huius adolescentis late innotescant atque illustrentur, quaesitae haud deerunt utilitates. Habent enim in Ioanne quod christifideles omnes sequantur: habet id maxime christiana iuventus, ea praesertim quae in Ecclesiae spem succrescit in sacris seminariis et in religiosis domibus. Omnibus vero sanctitas Ioannis se dat praeter ceteras, adeptu facilem, ac vel ipsa amabili specie, qua se conspiciendam praebet, ad imitandum vehementer allicit. Quandoquidem vero pietas egregia tua tuorumque sodalium hortatione non eget, Deum benignissimum precamur, ut ad maiorem suam gloriam vestra dirigat coepta eademque optato donet exitu. Caelestium interim conciliatricem adiumentorum Nostraeque testem benevolentiae apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, atque illis, nec non omnibus qui stipe, opera, prece praesto vobis erunt, peramanter in Domino impertimus.

qui, praesertim iuventuti, exemplar amabile virtutis se praebet.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die IX novembris MCMXX, Pontificatus Nostri anno septimo.

Dies (9 nov. 1920).

BENEDICTUS Pp. XV.

126. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

EPISTOLA ENCYCLICA 5 IAN. 1921

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: septimo saeculo exeunte a tertio Ordine Franciscalium condito

(A. A. S., 24 ian. 1921, 13, 33.)

BENEDICTUS Pp. XV

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Propositum celebrandi septingen-

Sacra propediem celebrari sollemnia, cum septingenti erunt anni a Tertio Ordine Poenitentiae condito, peropportunum putamus; eaque ut apud

tesimum annum a condito Tertio Ordine S. Franc., laudat R.P., ipse dudum Tertiarius,

catholicum orbem Nos commendatione apostolicae auctoritatis ornemus, facit primum exploratissima et sperata populi christiani utilitas, tum illud etiam quod Nostram privatim personam attingit. Anno enim MDCCCLXXXII, cum bonorum erga Assisiatem essent vulgo inflammata studia ob saecularem celebrationem natalis eius, grate meminimus Nos quoque inter alumnos magni Patriarchae numerari voluisse, atque ad Mariae in Capitolio, cuius quidem illustris aedis sacra procurant Minoritae, sanctum habitum Tertiariorum rite suscepisse. Nunc igitur, in Apostolorum principis cathedra divinitus constituti, oblatam occasionem perlibenter, vel pro Nostra in beatum Franciscum pietate, arripimus ad Ecclesiae filios, qui ubique sunt, cohortandos, ut hoc sanctissimi viri institutum, mirifice societatis humanae his quoque temporibus idoneum, sive studiose amplectantur, sive sedulo retineant.

atque hac occasione Tertium Ordinem omnibus commendat.

S. Franciscus, pro ea qua flagrabat, quamque Modernistae plane defigurarunt,

Ante omnia quidem unicuique versentur ob oculos vera Sancti Francisci lineamenta animi : nam quem recentiores nonnulli proponunt, in *modernistarum* officina conflatum, hominem Assisiatem, huic cathedrae apostolicae parum deditum, eundemque vagae et inanis cuiusdam religiositatis quasi specimen, eum profecto nec Franciscum recte appellaveris, nec Sanctum. — Iam vero ad praeclarissima et immortalia Francisci in rem christianam promerita, — quorum gratia is vere dictus est, periculoso maxime tempore, columen a Deo Ecclesiae sanctae datum, — velut quidam cumulus hic Ordo Tertius accessit, quo quidem nihil melius magnitudinem et vim illustrat eius, quo flagrabat, ardoris in propaganda usquequaque gloria Iesu Christi. Nam ex sollicita consideratione malorum, quibus Ecclesia tum laborabat, incredibili voluntate aggressus renovare ad christianam legem omnia, cum duplicem familiam Franciscus, unam fratrum, alteram sororum condidisset, qui, sollemnibus votis nuncupatis, Crucis humilitatem sequerentur, nec posset omnes claustris accipere, quod undique ad ipsum eius disciplinae cupiditas adduceret, consilium cepit ut in media saeculi agitatione viventibus daret christianae assequendae perfectionis facultatem ; ordinemque veri nominis instituit Tertiariorum, non eum quidem, ut duos priores, votorum religione obstrictum, sed simili ornatum et morum simplicitate et studio paenitentiae. Ita quod nullus unquam *regularis* familiae parens excogitarat, ut religiosum vivendi genus rem communem faceret, hic et invenit primus et effecit, Deo dante, felicissime : de quo illud exstat praeclare dictum Thomae Celanensis : « Egregius nempe artifex, ad cuius formam, regulam et doctrinam, efferendo praeconio, in utroque sexu Christi renovatur Ecclesia et trina triumphat militia salvandorum » [1]. Quo ex testimonio gravissimi viri et aequalis illorum temporum, ut alia omittamus, facile intelligitur quam penitus lateque Franciscus, hoc instituto, populos commoverit, quantamque et quam salutarem in eis rerum conversionem excitarit. Iam vero ut Ordinis Tertii, aeque ac primi et alterius, dubitare non licet quin auctor Franciscus exstiterit, ita eiusdem sine ulla dubitatione legifer sapientissimus ipse fuit. In quo egregiam ei operam navavit, ut accepimus, Cardinalis Ugolinus, is qui deinde, Gregorii IX sibi imposito nomine, hanc Apostolicam Sedem illustravit ; idemque, quum Assisiensi patriarcha familiarissime usus esset,

praeter Regularium duplicem Ordinem,

Tertium quoque eadem sancta studia prosequentem instituit.

Huic Ordini et ipse regulam condidit, allaborante Card. Ugolino,

[1] I Cel. XV, 40.

quoad ille vixit, postea eius sepulcrum pulcherrimo templo magnificentissimoque clausit. *Regulam* autem Tertiariorum rite esse Nicolai IV decessoris Nostri auctoritate sancitam nullus ignorat.

a Nicolao IV confirmatam.

Verum de his nihil attinet Nos plura, venerabiles fratres, addere : illud enim hic Nobis ante omnia faciendum est, ut ingenium propriusque spiritus, qui dicitur, instituti huius appareat, de quo, ut Francisci aetate, ita hisce temporibus quae virtuti Fideique tam inimica sunt, praeclaras in populum christianum utilitates sibi spondet Ecclesia. Probe quidem gnarus rerum ac temporum Leo XIII, decessor Noster fel. rec. Tertiariorum disciplinam, quo accommodatiorem ad omnes cuiusvis gradus redderet, Constitutione edita *Misericors Dei Filius*, anno MDCCCLXXXIII, eorum leges vel regulam « iuxta praesentes societatis circumstantias » prudentissime temperavit, de illa videlicet aliqua immutando, ut minora, et quae cum his moribus parum viderentur consentanea : « quo tamen facto nihil demptum, ait, de ipsa « Ordinis natura putetur, quam omnino volumus immutatam atque inte« gram permanere ». Omnis igitur ea rei huius immutatio versata extrinsecus est, haud ipsam eius vim rationemque attigit, quae talis perseverat, qualem sanctissimus auctor esse voluit. Iam vero plurimum ad emendandos privatim publiceque mores posse Tertii Ordinis spiritum, ut qui Evangelicam sapientiam totus redoleat, arbitramur, si quidem denuo increbrescat, ut olim, cum et factis et verbis praedicaret ubique Franciscus regnum Dei.

Proprius autem Tertiariorum spiritus,

etiam post temperatam a Leone XIII eorum disciplinam,

immutatus perseverat; qui ut olim, ita et nunc, ad emendandos mores plurimum valet.

Etenim primum omnium is vult in Tertiariis suis eminere, tamquam insigne quoddam, fraternam caritatem, pacis concordiaeque studiosissimam. Nimirum intelligens id esse Iesu Christi proprium praeceptum, quod legem christianam contineret omnem, ad ipsum suorum animos diligentissime conformavit. In quo illud etiam est assecutus, ut Tertius hic Ordo sua sponte communitati hominum maxime salutaris evaderet. Adeo, quo flagrabat Dei hominumque ardore seraphico, non eum Franciscus inclusum animo continere potuit; necesse habuit foras, ad quoscumque liceret, effundere. Itaque, exorsus privatam sodalium vitam domesticamque corrigere et christianis virtutibus excolere, quasi nihil praeterea spectare videretur, non hic sibi consistendum putavit; sed emendatione singulorum, tamquam instrumento, visus est uti ad christianae sapientiae studium in societatis humanae sinu excitandum, universosque omnes Iesu Christo lucrandos. — Quod igitur Francisco consilium fuerat ut sodales Tertiarii in magnis illis aetatis suae discordiis motibusque civilibus nuncios praeconesque pacis se praeberent, idem Nobis dudum fuit, cum totus fere orbis terrarum horrifico bello conflagrabat; idem est nunc, eo nondum plane restincto incendio, cum eius passim fument, alicubi etiam flammescant reliquiae. Cui quidem incommodo illud accedit intestinum civitatibus malum — quod ipsum diuturna principiorum christianorum oblivio contemptioque ingeneravit — civium dicimus ordines cum ordinibus de terrestrium partitione bonorum adeo dimicantes acriter, ut communis iam sit rerum pernicies formidanda.

Suis inculcat S. Franc. studium caritatis promovendae :

quod, cum in singulorum vita praestetur,

in Societatis universae bonum redundabit.

Iamvero, quantae, nunc quoque, sedandae discordiae, tum inter gentes,

tum inter civium ordines

Quare in hoc tam immenso campo, in quem Nos, ut *Regis Pacifici* gerentes vicem, praecipuas quasdam curas cogitationesque contulimus, omnium quidem, quotquot sunt filii christianae pacis, advocatam desideramus industriam, sed maxime Tertiariorum sodalium, qui mirum quantum proderunt ad animorum concordiam reconciliandam, si et numerus

R. P., Regis pacifici Vicarius, optat proinde

ut Tertiarii,

numero et studio aucti,

ubique locorum instituantur,

quibus reliquae consociationes se adiungant,

eodem ac Franciscus caritatis studio affectae.

A solo enim Christo, quidquid moliantur homines, vera pax,

quippe a quo solo mortificatio cupiditatum.

Haec autem efficaciter a Tertiariis promovetur

qui in mundo viventes,

de mundo tamen non sunt.

Duo maxima nostri temporis mala, cupiditas habendi et voluptatum sitis,

eorum ubique et studium creverit. Optabile est igitur ut nullum iam sit oppidum, nullus etiam vicus aut pagus, quin huius generis sodales satis multos habeat et eos non desides quosdam solaque Tertiariorum appellatione contentos, sed impigros suaeque studiosos et alienae salutis. Quidni autem quae ubique apud catholicum nomen vigent multiplices variaeque consociationes vel iuvenum, vel opificum, vel feminarum, sese Tertio huic Ordini adiungant, eodemque studio, quo Franciscus, pacis et caritatis affectae, pro Iesu Christi gloria et pro Ecclesiae emolumento niti perseverent? Etenim non eam pacem efflagitat genus humanum, quam laboriosa terrenae prudentiae consilia confecerint, verum quae a Christo allata est, sic affirmante : *pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis* [1]. Illa enim vel civitatum vel civilium ordinum inter se compositio, quam homines excogitaverint, nec diu permanere, nec verae pacis omnino habere vim potest, nisi in ipsa animorum tranquillitate consistat ; haec vero nulla est, nisi cohibitis tamquam officii freno cupiditatibus, ex quibus omnia cuiusvis generis dissidia nascuntur. *Unde bella et lites in vobis*, quaerit Iacobus Apostolus, *nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quae militant in membris vestris?* [2]. Iam recte ordinare omnia, quae in hominis natura insunt, sic ut non suis cupidinibus serviat, sed imperet, divinae obediens subiectusque voluntati, qua quidem in ordinatione, tamquam fundamento, pax communis nititur, Christi virtutis est, eaque in Tertiariorum Franciscalium familia mirifice efficax apparet. Nam quia hic Ordo, ut diximus, illud habet, ut sodales suos ad christianae vitae perfectionem, quamvis saecularibus curis implicatos, — neque enim ab ullo genere cursuque vivendi abhorret morum sanctimonia — idcirco, ubi complures sint, qui huic instituto congruenter vivant, necessitate quadam sequitur, ut aliis omnibus quos inter versantur, magno sint incitamento non modo ad omne officii munus explendum, sed etiam ad perfectius quiddam in vita attingendum quam communis lex iusserit. Quae igitur a Christo Domino tributa laus est discipulis, ei praecipuum in modum adhaerentibus, cum dixit : *De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo* [3], eadem merito tribuenda his Francisci alumnis qui evangelica consilia, mente et animo, quantum in saeculo licet, observantes, vere de se affirmare idem possunt quod Apostolus : *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est* [4].

Quare longissime se abstinentes a mundi spiritu, studebunt contra in communis vitae consuetudinem spiritum Iesu Christi, quacumque ipsis detur aditus, inferre. Iam vero duo sunt quae hodie in maxima morum perversitate dominantur, infinitum quoddam studium habendi et inexplebilis voluptatum sitis. Hinc praesertim eam hoc saeculum habet labem et maculam, ut, cum in rebus omnibus quae ad vitae commoditatem iucunditatemque pertinent, perpetuam fere progressionem faciat, in eo autem quod maius est, scilicet in officio bene recteque vivendi, miserabiliter ad ethnicae vetustatis flagitia regredi videatur. Nam quo magis

---

[1] Ioan. 14, 27.
[2] Iac. *Ep. cath.*, 4, 1.
[3] Ioan. 17, 16.
[4] I *Cor.* 2, 12.

obscurantur apud homines sempiterna, quae in caelis parata sunt, bona, eo magis haec eos caduca alliciunt capiuntque ; cum autem semel in terram sese animi abiecerint, proclive est sensim in iis virtutem tabescere, eisdemque fastidientibus quae spiritus sunt, nullas res iam sapere, nisi oblectamenta deliciarum. Ergo videmus vulgo ex una parte nec quaerendae neque augendae rei ullum adhiberi modum, ex altera antiquam desiderari patientiam molestiarum quae inopiae vel tenuitati comitari solent ; cumque inter proletarios et copiosos illae intercedant simultates quas diximus, ad acuendam tenuiorum invidiam accedere profusum nimis multorum cultum corporis, indigna prorsus licentia coniunctum. Qua in re satis equidem deplorare non possumus tot ex quavis aetate ac genere caecitatem mulierum, quae, studio placendi infatuatae, non vident quantum illa, qua utuntur, insania vestium non solum optimo cuique displiceant, sed Deum offendant. Neque enim satis habent cum tali ornatu, — quem plurimae earum olim exhorruissent, ut christianae modestiae nimis repugnantem, — prodire in publicum, quin aedes sacras ingredi non verentur et in sacrorum celebritate versari, atque etiam ad ipsam mensam Eucharisticam, in qua divinus castimoniae auctor sumitur, foedarum deferre lenocinia cupiditatum. Mittimus autem eas, quae nuper ex barbaria in hominum elegantium morem venerunt, alias aliis deteriores, saltationes, quibus nihil inveniri potest aptius ad omnem exuendam verecundiam.

oblivione bonorum aeternorum parta ;

hinc tenuiores, conditionis iam impatientes,

licentia ditiorum exacerbantur.

Deploranda tot mulierum caecitas,

quae christianae castimoniae obliviscuntur.

Haec si diligenter Tertiarii sodales attenderint, intelligent quid a se, Francisci alumnis, tempus postulet. Nimirum intueantur oportet in vitam Patris sui ; considerent quanta ei quamque expressa cum Iesu Christo fuerit similitudo, maxime in huius mundi fugiendis commodis suscipiendisque doloribus, qui et pauperculi sibi nomen perperit, et in corpore suo stigmata acceperit Crucifixi ; atque ab eo non se degenerare ostendant, paupertatem saltem spiritu amplectendo ac semetipsos abnegando suamque quisque crucem tollendo. Tertiariae vero, quod ad eas praesertim attinet, sese in habitu atque in omni vitae cultu praebeant ceteris puellis matronisque sanctae pudicitiae documentum ; nec putent se melius de Ecclesia deque republica posse mereri quam corruptorum parando emendationem morum. — Quod si sodales huius Ordinis ad opitulandum egenis in eorum necessitate multiplici varias beneficentiae rationes instituerunt, certe commissuri non sunt, ut fratres, non rerum terrenarum sed multo maiorum indigentes, suae caritatis officiis destituant. Atque hic venit Nobis in mentem illud Petri Apostoli qui christianos hortabatur vellent, sancte vivendo, esse gentilibus exemplo ob eam causam, ut *ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis* [1]. Similiter Tertiarii Franciscales et fidei integritate et vitae innocentia et studii alacritate bonum Christi odorem late diffundere et fratribus, qui de via declinaverint, hortamento debent et invitationi esse ad resipiscendum : hoc ab eis exigit, hoc exspectat Ecclesia.

Hinc intellegant Tertiarii quid a se tempus postulet,

mortificationem nimirum,

spiritum paupertatis,

pudicitiam,

quo bonorum spiritualium indigentes iuvent

et errantes reducant.

Nos vero ex proximis sollemnibus Tertium hunc Ordinem bona acceptarum incrementa confidimus ; nec dubitamus quin vos, venerabiles fratres, ceteriique animarum pastores magnopere curaturi sitis, ut Tertiariorum sodalitates, sicubi languescunt, revirescant, aliaeque etiam, ubi-

Incrementa Tertii Ordinis R. P. optat.

[1] I Petr. 2, 12.

cumque fieri possit, excitentur, floreantque omnes disciplinae observatione non minus quam sodalium copia. Id enim denique agitur, ut quam plurimis hominibus muniatur per Francisci imitationem via et reditus ad Christum, quo in reditu spes maxime continetur communis salutis. Nam quod Paulus ait : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [1], id ipsum iure Francisco usurpare licet, qui, Iesum Christum imitando, eius factus est simillima omnium effigies et imago.

Tribus O. S. F. familiis largitur indulgentias,

Itaque eadem sollemnia quo fructuosiora eveniant, haec Nos, trium familiarum Franciscalium primi Ordinis Ministris Generalibus enixe rogantibus, de sanctae Ecclesiae thesauro largimur :

I. In omnibus aedibus sacris ubi sodalitates Tertii Ordinis legitime sunt institutae, cum ibi, per annum integrum a die XVI aprilis proximi, ob hanc saecularem sollemnitatem supplicatio in triduum fiet, Tertiarii sodales quidem singulis iis diebus, ceteri vero semel plenariam peccatorum remissionem, usitatis conditionibus, lucrentur : quicumque autem ibidem augustum Sacramentum, de suis peccatis dolentes, visitaverint, ii septem annorum indulgentiam *toties quoties* consequantur ;

privilegium altaris et missae votivae,

II. Omnia earum aedium altaria per eos dies *privilegiata* sint ; eodemque triduo sacrum de S. Francisco, tanquam votivum pro re gravi et simul publica de causa, ibidem cuilibet sacerdoti facere liceat, servatis generalibus rubricis Missalis Romani, ut in novissima eius editione Vaticana proponuntur ;

facultatem benedicendi Rosaria, etc.

III. Omnes sacerdotes, iisdem aedibus addicti, possint per eosdem dies Rosaria, numismata, similia, benedicendo, apostolicae indulgentiae muneribus ditare, item Rosaria Crucigerorum et Sanctae Birgittae benedicere.

Auspicem vero divinorum munerum ac benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, et universis Tertii Ordinis sodalibus amantissime impertimus.

Dies (5 ian. 1921).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, in Epiphania Domini MCMXXI, Pontificatus Nostri anno septimo.

BENEDICTUS Pp. XV.

---

127. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

EPISTOLA 28 DEC. 1920

Ad R. P. Franc. Zorell, S. I., propositum absolvendi « Cursum Scripturae Sacrae » commendans

(A. A. S., 10 feb. 1921, 13, 91.)

Laudat R. P. propositum Cursum Scripturae S. bello intermissum absolvendi,

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Cohaeret plane cum votis Nostris significatum a te consilium continuandi et absolvendi *Cursum Scripturae Sacrae* superiore bello intermissum, tibique, dilecte fili, et adscitis laborum sociis gratulamur ex animo. Novimus enim qui tui Ordinis sacerdotes antehac in opere eodem scribendo versati sunt, quanta id egerint cum laude doctrinae et obsequii in Ecclesiae magisterium

[1] I *Cor.* 11, 1.

quantoque cum fructu biblicae disciplinae, iureque est quod fructum non minorem exspectemus a te et a tuis sodalibus ; nihil enim dubitamus quin eodem ornatu virtutum coepta eadem aggrediamini. Spem bonam illud etiam affert, quod biblicas has scriptiones repetitis per haec hieronymiana sollemnia. Videmini enim, auspice quodammodo Doctore maximo, studia vestra in eam ipsam conferre disciplinam, qua idem excolenda tantopere inclaruit eodemque magistro velle arduum persequi propositum. Nos quidem, ut id etiam cooperetur in bonum, concedimus libentissime ut, quae probati huius operis edentur volumina, dicentur nomini Nostro : ac caelestium conciliatricem luminum Nostraeque testem benevolentiae, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque sociis peramanter in Domino impertimus. *et dedicationem operis accepiat.*

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XXVIII decembris MCMXX, Pontificatus Nostri anno septimo. *Dies (28 dec. 1920).*

BENEDICTUS Pp. XV

ANNOTATIO

Cursus Scripturae Sacrae cuius continuationem S. Pontifex approbat et commendat, initium sumpsit, anno 1885, primo volumine introductionis in Scripturam sacram, quod RADULPHUS CORNELY, prius in collegio S. Mariae ad Lacum in Germania, dein Romae, in Universitate Gregoriana, professor S. Scripturae, profitetur scripsisse seu absolvisse in festo SS. Cordis Iesu.

Ab anno 1887, in tomo qui quartus editus est (etsi ordine logico tertius sit) haec dedicatio in singulis voluminibus legitur, mutato, post obitum LEONIS XIII, nomine Pontificis, qui tunc fuit PIUS X :

« Leoni XIII Pontifici Maximo — Commentarios isagogicos et exegeticos — in omnes veteris novique Testamenti scripturas — ad sanctorum Patrum — et vetustiorum scholae doctorum — iuniorumque interpretum — normam exactos — adhibitis ubi opus fuerit — recentiorum scientiarum subsidiis — auctores obsequentissimi — summo atque inerranti divinae veritatis interpreti —qui singulari dignatione benignitatis — id quidquid est operis — nomini suo inscribi permisit — pietatis et immobilis fidei pignus exhibent — seque ac sua studia omnia — addicunt devovent — sedis Apostolicae doctrinae adserendae — sacrarum litterarum auctoritati — pro viribus propugnandae. »

Opus hoc titulo generali vulgatum est : Cursus Scripturae Sacrae auctoribus R(ADULPHO) CORNELY, I(OSEPHO) KNABENBAUER, F(RANCISCO) DE HUMMELAUER, aliisque Soc. Iesu presbyteris. Quod nomen commune servatum est etiam postquam tres principales scriptores e vivis excesserunt. Praeter impigros istos operis conditores, quibus non pauci tomi ascribuntur, P. GERARDUS GIETMANN commentatus est

Ecclesiasten et Canticum canticorum, P. MARTINUS HAGEN confecit *lexicon biblicum*, tribus tomis constans, praeter compendium introductionis P. Cornely; ac magis recens, 1911, R. P. FRANCISCUS ZORELL Novi Testamenti lexicon Graecum adornavit.

Plerique libri cum veteris tum novi Testamenti suos obtinuere commentarios in hoc opere. In V. T. desiderantur commentarii in libros Esdrae, Nehemiae, Tobiae, Iudith, Esther, Baruch; in N. T. commentarii in ep. S. Pauli ad Hebraeos et sequentes libros.

A primis initiis cursus iste editus est Parisiis apud Lethielleux.

---

128. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

ALLOCUTIO

habita in Consistorio 7 mart. 1921

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 121.)

VENERABILES FRATRES,

R. P. sollicitudinem suam de hodierna populorum perturbatione aperit.

Gratum vehementer est quod vos coram frequentes intuemur, quibuscum una de sanctae Ecclesiae negotiis et animarum, Nostrae potissime demandatis curae, consultare Nobis licet. Atque utinam in hunc amplissimum consessum afferre iucunda et laetabilia possimus: verum tristitia prohibemur horum temporum cum belli nondum usquequaque consedit furor, civilesque motus et populorum certamina, quae plurifariam ardescunt, magna etiam nunc sollicitudine Nos afficiunt. Memores equidem Nostrarum partium, nullam adhuc occasionem praetermisimus, quantum erat in Nobis, laborandi ut in possessionem pacis et tranquillitatis rediret humana societas; quam tranquillitatem pluries illa sibi, saeculis anteactis, Ecclesiae obtemperando, peperisset. Itaque, natali septingentesimo Tertii Ordinis Franciscalium appetente, nuper orbem catholicum ad illud et abstinentiae et caritatis christianae studium hortati sumus quo Assisiensis Patriarcha incensus, cum homines a terrenarum rerum amore ad caelestia traduceret, tam opportunam aetatis suae malis medicinam adhibuerat.

Tranquillitati restituendae, tum alias pluries,

tum nuper occasione septingentesimi natalis Tertii Ordinis S. Franc. apta hortatione allaboravit.

Etenim numquam fortasse hac hortatione tam opus fuit quam hodie, cum, ex ea belli dimicatione vix emersum, cupiditatum ardoribus et partium contentionibus misere conflictatur genus humanum; cumque, nisi ad christiana instituta renovetur vita singulorum, admodum difficile erit ethnici spiritus, longe lateque fluentem, remorari luem, quominus omnem consuetudinem civilem omnesque privatorum mores inficiat. Quod si, pactione facta, belligerari desitum est, non tamen vera pax mundo illuxit, nec quicquam in convictu domestico, in societate civili, in exterisque populorum rationibus magis desideratur quam, fraternae hominum necessitudini christianaeque coniunctioni consentanea, ordinis tranquillitas. Videmus, addictos acerrime contrariis partibus, cives cum civibus ad caedem saepe confligere; videmus gentes, sub uno eodemque natas

Nisi enim ad christiana principia redeatur,

usque grassabitur ethnicus iste spiritus,

omnium semen perturbationum

quas hodie oculis cernimus,

educatasque caelo, de communis possessione soli armis disputando, aeternarum inter se iacere semina discordiarum ; ad haec, veteres quarundam nationum simultates erumpere in violentiam immanitatemque facinorum, quae quidem cum legibus morum atque humanitatis male cohaerent, quaeque Nos, undecumque fiant, improbamus.

nec quidquam proderunt pacta scripta inter gentes ;

Iam vero consentiunt omnes conventa hominum vel consultissimorum quantumvis elaborata ad conficiendam pacem, permansura quidem, ut civilis prudentiae documentum, in scriptis, non vero gentium pervasura animos, nec habitura legis vim nec ullum omnino usum, nisi, cum iustitiae aequitatisque fundamentis constituta fuerint, tum etiam iacta sint mores et instituta populorum iis christianis conformata principiis quae de civili cultu ethnicam turpitudinem depulerunt, et quorum virtus ad res humanas privatim publiceque emendandas Francisci temporibus mirifice apparuit. Profecto si domitas habeant virtute cupiditates, exsistet in hominibus singulis ille ordo intimus, quo ipsa societatis humanae ordinatio nititur ; ex fraterna autem caritate, si quidem eam non minus, quam iustitiam, classes inter se civium itemque populi, sicut christianos decet, colere instituerint, efflorescet mutua fides, qua nihil melius ad alendam pacem et confirmandam.

dum contra, ex virtutum abstinentiae et caritatis cultu,

vera denique pax efflorescet.

Haec ut, divino beneficio, quamprimum christiana morum renovatio fiat, eoque ipso orbis terrarum in longum tranquilletur, Nos equidem precamur petimusque, optantes interea ut saecularis, quam diximus, celebritas exspectatissimum tempus, sancti Francisci spiritum vulgando, maturet.

Hanc morum renovationem ex vulgato S. Francisci spiritu maturandam optat R. P.

129. — SS. D. N BENEDICTUS Pp. XV

EPISTOLA 10 FEBR. 1921

Ad Desideratum Iosephum S. R. E. Card. Mercier, Archiep. Mechlinien., ceterosque Belgarum Episcopos, quibus, occasione « Quaestionis Flandricae », nonnulla quae ad religionem pertinent paterno animo inculcat

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 127.)

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — **Cum semper**, ut ipsi probe nostis, tum immani bello saeviente, tum pace Versaliensi confecta, paternam Nos curam sollicitudinemque de Belgarum rebus adhibuerimus, immortales sane grates datori bonorum omnium Deo agimus qui Nobis videre concesserit quemadmodum patria vestra, peralacri quidem civium cuiusvis ordinis virtute atque sollertia, ad pristinae iam prosperitatis spem feliciter revirescat.

R. P., de Belgarum rebus sollicitus,

Verum tamen id vos latere nolumus, venerabiles fratres, non parum scilicet Nos commoveri, allatis istinc rumoribus dissensionum, ob eam, quae iam diu agitatur, « Quaestionem Flandricam ». Difficilis profecto quaestio atque plura complectens ; de cuius expediendae ratione, utrinque, ipsi qui sunt eiusdem partis inter se non consentiunt: Nos igitur, ea tantum

« Quaestionem flandricam » tractare intendit quod spectat ad religionem,

hic attingemus quae ad religionem pertinent, propositam nimirum Nobis habentes, uti debemus, animarum utilitatem.

ut in re simili fecit Leo XIII.

Similiter decessor Noster f. r. Leo XIII, die XX augusti MCMI, ad Episcopos Bohemiae et Moraviae scribens, de dissensionibus inter eos populos ortis linguarum causa, professus est se nolle eas controversias participare; verum, pro apostolico officio, cavere velle ne quid religio inde caperet detrimenti. « Nobis quidem — sic ille — a dirimendis de hac re contro- « versiis abstinere decretum est. Profecto sermonis patrii tuitio, si certos « intra fines consistit, reprehensionem non habet; quod tamen de ceteris « privatorum iuribus valet, valere hic etiam tenendum est, ne quid ex « eorum prosecutione communis utilitas patiatur. Est igitur eorum qui « publicam rem administrant, sic, aequitate incolumi, velle integra singu- « lorum iura, ut commune tamen civitatis bonum stet atque vigeat. Quod « ad Nos attinet, monet officium cavere sedulo, ne ex eiusmodi contro- « versiis periclitetur religio, quae princeps est animorum bonum cetero- « rumque bonorum origo ».

Ne damna inde religioni obveniant,

Eadem Nos quidem, venerabiles fratres, sollicitudine afficimur, eadem causa adducimur ad scribendum; periculum est enim ne istiusmodi controversiis vel civium inter cives caritatis vincula relaxentur, vel ea infirmetur concordia, qua quidem parvae res crescunt, sine qua maximae dilabuntur: in primisque ne clerus quicquam de sua dignitate ministeriique efficacitate deperdat, si iisdem disputationibus immoderata contentione sese immiscuerit.

oportet sacerdos sit unice «homo Dei»:

Iam vero qua se ratione clerus gerere debeat, non solum in istis sed etiam in ceteris rerum adiunctis, apparet ex iis Apostoli verbis, quibus praeclare sacerdotis munera adumbrantur: « Omnis Pontifex ex hominibus « assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum » (*ad Hebr.*, III, 1). Ex his constat divina plane esse sacerdotis officia; ob eamque rem non debere ministerii eius auctoritatem terrenis servire negotiis; et quamvis non prohibeatur clerus civilibus iuribus, ut ceteri cives, uti, hunc tamen usum numquam oportere sacri ministerii eius efficacitati obesse.

Quod si sacerdotalis actio omni et tempore et loco ad hanc normam debet exigi, tum praesertim debet cum populum ad christianam sapientiam instituit docendo vel praedicando.

in apte instituendo iuventutem,

Itaque vestrum erit, venerabiles fratres, vigilare ut clerus iuventutis institutionem, in quam quidem pro sui officii conscientia incumbat oportet, tamquam nota supernaturali conformet, unde facile *homo Dei* ab omnibus agnoscatur. Atque ut ex labore suo sacerdos uberes, qui sperantur, fructus percipiat, is omnibus rebus instructus sit quas tempora postulant, quaeque eum discipulis gratum acceptumque efficiunt: maxime vero linguam probe calleat, qua varii utuntur hominum ordines quibuscum pro officio communicare debet, cum secus, uti patet, impossibile esset ministerii sui exercitium.

in praedicando,

Ad sacram praedicationem quod pertinet, fidei morumque dumtaxat doctrinam explicent sacerdotes, nec tractantes quicquam a suo ipsorum supernaturali munere alienum, eam semper gravitatem ostendant quae divini verbi praecone digna sit. In quo quidem revocentur in usum, si forte in oblivionem venerint, praescriptiones illae quae a S. Congreg.

Consistoriali die XXVIII iunii MCMXVII editae sunt, quaeque in Codicem Iuris Canonici sunt relatae, ad ea exsequenda quae Nos per Encyclicas Litteras *Humani generis redemptionem* mandaveramus.

in scriptis edendis;

De facultate autem typis scriptiones edendi, quoniam mirandum in modum ea crevit ac permagna eiusdem vis est in utramque partem, cum errorem aeque ac veritatem incredibili celeritate divulgari possit, idcirco Nos religiose observari volumus quod statutum est canone 1386 Codicis Iuris Canonici, quo vetantur clerici, sine consensu suorum Ordinariorum, libros, qui de rebus profanis tractent, edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari.

ad hoc informentur alumni Seminariorum.

Cum vero digni sanctis altaribus ministri in Seminariis parentur, curae vobis hoc ante omnia sit, venerabiles fratres, ut Clericorum Seminaria vere ad eam rem conducant cuius causa instituta sunt; quapropter diligenter danda est opera ne aditus illuc pateat scriptis ullis quae in eos sacros recessus tumultum afferant civilium contentionum, quaeque a pietatis cultu optimisque studiis abstrahant. Quare efficite, — ut idem decessor Noster Leo XIII in ea, quam memoravimus, epistola hortatur, — « ut Seminariorum alumni tempestive discant in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligere; utpote renati non ex semine corruptibili per verbum Dei vivi... Erumpentes autem animorum perturbationes cohibete fortiter nec pacto ullo vigere patiamini; ita ut qui clero destinantur, si labii unius, ob originis discrimen, esse nequeunt, at certe cor unum sint atque anima una ».

Oboedientiam erga episcopum clerus colat.

Ceterum clerus divino suo munere sine ulla dubitatione satisfaciet, si in sua cogitandi agendique ratione sacris Pastoribus morem gerat oboedienter. Nec plura certe hic attinet de hac re commemorare, quae cum probe sint cognita, tum fusius de iis mentionem fecimus in Encyclicis Litteris *Ad beatissimi Apostolorum Principis*, quas quidem in exordio Pontificatus Nostri ad orbem catholicum dedimus: quemadmodum enim Romanus Pontifex sumnius est Ecclesiae universae Magister, ita Episcopi rectores sunt particularium Ecclesiarum; ipsis ergo fideles omnes, maximeque sacerdotes, oboedire et parere debent. Nonne igitur crudeles dicendi sunt, qui difficultates gravissimas non considerantes, in quibus ob temporum tristitiam Episcopi pastorale munus exercent, id oneris, id sollicitudinis augent, obsequium debitum iisdem recusando?

Quae omnia clero regulari maxime attendenda.

Quae autem de clero vestro hucusque diximus, ea praesertim pertinent ad clerum regularem, qui, cum peculiari lege teneatur ad perfectae virtutis apicem nitendi, iis omnibus se abstinere debet quae possint a tam praeclaro proposito eum avertere.

Praeeunte clero

Quamobrem obsequatur consiliis vestris uterque clerus: ita enim, arcte vobiscum coniunctus, frugiferam apostolatus operam in populo navare poterit, eam concordiam omnium ordinum roborando quae, maxime cum gens Belgarum universa in libertatem vindicata est, tantam patriae vestrae gloriam peperit ac prosperitatem.

populus concordiam sectetur,

Populus autem, clero praeeunte, eadem sensa animi sequatur, omnem devitans acerbitatem verborum, quae, praeter divinae legis offensionem, caritati concordiaeque adversatur.

Haec vobis significare voluimus, venerabiles fratres, unice de salute solliciti cum Nostrorum filiorum, tum maxime sacerdotum, quos quidem

iuvante gratia Dei.

ministerii vestri adiutores habetis. Itaque, sublatis in caelum oculis, iterare Nobis libet pro eis omnibus verba Iesu Domini : « Pater sancte, serva eos « in nomine tuo, quos dedisti mihi... Pater, sanctifica eos in veritate » (Ioan., XVII, 11, 17). Cumque supernae tantum virtutis ope possimus bonum velle et perficere, idcirco Deum enixe precamur ut et pastoralis sollertiae vestrae benigne faveat et validum tamquam suae gloriae instrumentum clerum vestrum efficiat. Quorum caelestium munerum auspicem itemque ut praecipuae benevolentiae Nostrae pignus, apostolicam benedictionem vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, cunctoque gregi unicuique vestrum concredito, libenti effusoque animo impertimus.

Dies (10 feb. 1921).

Datum Romae apud sanctum Petrum, die x mensis februarii MCMXXI, Pontificatus Nostri anno septimo.

BENEDICTUS Pp. XV

ANNOTATIONES

1. Observandum per se in primis est quomodo ipsa inscriptione, quae studiose confecta videtur, sollicitudo mere *religiosa* S. Pontificis, simul cum paterno eius affectu affirmetur : illud, ne importuna vel intemperans immixtio obiciatur, hoc, quo melius persuadeat eos quos ab imprudentibus consiliis avocare cupit.

2. Praeter allegatam epistolam decessoris sui, Leonis XIII 20 aug. 1901, quae inter Pontificis acta reperitur, potuisset etiam SS. Dominus propria allegare documenta quae in simili Canadensium controversia et contentione dedit litteris *Commisso divinitus*, 8 sept. 1916, quae summarie referuntur in *Per.* VIII, p. 133 ; tum epistola 7 iun. 1918, quae *Per.* IX, p. 104 exscripta est.

130. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

EPISTOLA 20 FEBR. 1921

Ad R. P. Arnaldum Rigo, tertii Ordinis regularis S. Francisci ministrum generalem, ei tribuens eadem quae ministris generalibus Franciscalium primi Ordinis concesserat occasione DCC natalis tertii Ordinis saecularis

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 130.)

Tertii Ordinis sollemnia cum peculiari iure tertiariis regularibus sint celebranda,

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — **Tertii Ordinis** a Paenitentia abhinc septem saeculis instituti sacra sollemnia, de quibus Nos encyclicam epistolam ad orbem catholicam nuper dedimus, cum a Tertiariorum Franciscalium universitate sint iure agenda, tum peculiaris quaedam est causa quare ab ista, cui tu praees, religiosa familia celebrentur. Etenim, ut huius Apostolicae Sedis non pauca litterarum monu-

menta declarant, inter Tertium illum et vestrum Ordinem discrimen est nullum vel originis vel Regulae vel appellationis, nisi quod vos Francisci Patris legiferi instituto accessionem trium votorum sollemnium mature adiunxistis. Ita, quam eratis ingressi viam, eadem sic pergere instituistis, ut ceteris sodalibus Tertiariis qui mundi negotiis curisque impliciti remansissent, in christiana perfectione colenda essetis exemplo, iisque tamquam duces ad sempiternam salutem quaerendam praeiretis. Cui quidem officio non vos defuisse scimus, diuque et praeclare istum Ordinem et sodalium numero et disciplinae laude floruisse. Quod si deinceps, ob ea quae accepisset, ex multiplici civilium rerum conversione, vulnera, tamquam debilitatus aliquandiu iacuit, ad eum excitandum et reficiendum vestra conversa esse studia gaudemus; idque libenter intelleximus superiore mense augusto, cum te, novum Ordinis Antistitem, dilecte fili, primoresque tuorum Sodalium coram admisimus. Nunc autem, appetente sollemnitate saeculari quam diximus, placet Nobis occasionem quae affertur arripere simul Nostrae in vos omnes paternae benevolentiae testandae, simul industriae vestrae refovendae. Quicquid igitur in encyclica epistola, quam supra memoravimus, *Sacra propediem* « trium familiarum Franciscalium primi Ordinis Ministris Generalibus enixe rogantibus » de Sanctae Ecclesiae thesauro largiti sumus, id omne vobis quoque petentibus volenti animo concedimus. Quare in omnibus vestrae familiae aedibus sacris, ubi Sodalitates Tertii Ordinis saecularis legitime sunt institutae, cum ibi, per annum integrum a die XVI aprilis proximi, ob hanc sollemnitatem supplicatio in triduum fiet, Tertiarii sodales quidem singulis iis diebus, ceteri vero semel plenariam peccatorum remissionem, usitatis conditionibus, lucrentur: quicumque autem ibidem augustum Sacramentum de suis peccatis dolentes, visitaverint, ii septem annorum indulgentiam *toties quoties* consequantur; omnia earum aedium altaria per eos dies *privilegiata* sint; eodemque triduo sacrum de S. Francisco, tamquam votivum pro re gravi et simul publica de causa, ibidem cuilibet sacerdoti facere liceat, servatis generalibus rubricis Missalis Romani, ut in novissima eius editione Vaticana proponuntur; denique omnes sacerdotes, iisdem aedibus addicti, possint per eosdem dies Rosaria, numismata, similia, benedicendo, apostolicae indulgentiae muneribus ditare, item Rosariis Crucigerorum et sanctae Birgittae benedicere.

R. P. iis concedit gratias quas primo Ordini largitus erat.

Hanc vestrarum originum commemorationem bono vobis incremento futuram sperare libet; atque optabile est ut quotquot sunt ex utroque sexu religiosae familiae Tertii Ordinis Franciscalis votorum simplicium vinculo obstrictae, institutum vestrum, a quo vix aliquid distant, iam amplectantur et vobiscum quasi in unum corpus bene valens vigensque coalescant.

Optat ut religiosae Tertii Ordinis familiae unum cum Tertio Ordine regulari corpus efficiant.

Auspicem vero divinorum munerum ac testem paternae caritatis Nostrae, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque sodalibus universis amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XX mensis februarii MCMXXI, Pontificatus Nostri anno septimo.

Dies (20 feb. 1921).

BENEDICTUS Pp. XV.

ANNOTATIONES

I. Per occasionem completi VII[i] saeculi ab instituto Tertio Ordine saeculari S. Francisci, S. Pontifex, 7 ianuarii 1921, encyclicas litteras dedit *Sacra propediem*, quibus, id petentibus trium Familiarum Franciscalium Ministris Generalibus, indulgentias lucrandas concessit in aedibus sacris ubi sodalitates Tertii Ordinis saecularis legitime sunt institutae, facta quoque sacerdotibus earundem aedium, potestate benedicendi rosaria, etc.

Sed cum ab anno 1521, Tertiarii sodales S. Francisci additis votis substantialibus religionis, composuerint Tertium Ordinem regularem, qui ipse curat sodalitates Tertiariorum saecularium, S. Pontifex praesentibus litteris easdem prorsus gratias concedit aedibus istius Ordinis ubi sodalitates Tertiariorum saecularium legitime sunt institutae.

Exemplum hic habemus concessionis « ad abundantiam » factae, seu non necessariae. Ipso exordio litterarum satis demonstratur superiores litteras iam per se valere de aedibus sacris istius Ordinis. Condicio enim gratiae plene impleta est atque iisdem verbis iteratur : legitima institutio sodalitatis Tertii Ordinis saecularis.

II. Valde autem notabile optatum S. Pontifex exprimit, dum cupere videtur ut omnes religiosae Tertii Ordinis congregationes institutum Tertii Ordinis regularis amplectantur et quasi in unum corpus cum eodem coalescant. Qua ratione id fieri queat, postea fortasse edocebimur.

131. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

EPISTOLA ENCYCLICA 30 APR. 1921

Dilectis filiis doctoribus et alumnis litterarum artiumque optimarum orbis catholici, saeculo sexto exeunte ab obitu Dantis Alighierii

(A. A. S., 6 maii 1921, 13, 209.)

BENEDICTUS Pp. XV

DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sexcentesimo volvente anno ab obitu Dantis,

In praeclara summorum copia hominum, suo splendore et gloria fidem catholicam illustrantium, qui cum in omni genere, tum praesertim in litteris disciplinisque optimis ita versati sunt ut, immortalibus facultatis suae editis fructibus, de civili societate aeque ac de Ecclesia bene meruerint, singularem plane DANTES ALIGHERIUS locum obtinet, cuius ab obitu plenus mox erit annus sexcentesimus. Profecto huius viri praestantia

excellens numquam fortasse alias testatior fuit quam hoc tempore ; nam ad eius ornandam memoriam non modo sese alacris comparat Italia, cui de tali sobole gloriari licet, sed apud omnes, quotquot sunt, excultas ad humanitatem gentes novimus propria quaedam constituta esse eruditorum consilia ob eam causam, ut hoc humani generis insigne decus communi orbis terrarum praeconio celebretur.

ceteris omnibus qui eius memoriam ornare parant,

Iamvero tam mirifico quasi choro bonorum omnium non solum non deesse Nos decet, sed quodammodo praeesse ; quandoquidem Aligherium in primis et maxime Ecclesia parens agnoscit suum. Cum igitur sub exordium Pontificatus epistolam ad Archiepiscopum Ravennatium dederimus de templo in Alighierii saecularia decorando, quocum monumentum sepulcri eius continens est, nunc, ea ipsa sollemnia tamquam auspicantibus, visum est Nobis, dilecti filii, qui, Ecclesia advigilante, in litterarum studiis versamini, vos alloqui universos, quo faciamus vel planius, quanta intercedat Aligherio cum hac Petri Cathedra coniunctio, quamque sit necesse laudes, tanto tributas nomini, in fidem catholicam haud exigua ex parte redundare.

praesse cupit R. P.

Ac primum, quoniam hic noster in omni vita catholicam religionem in exemplum est professus, ipsius votis consentaneum videtur, quod intelligimus futurum, ut, religione auspice, sollemnis eius commemoratio fiat, et ea exitum quidem Ravennae habeat ad Sancti Francisci, sed initium capiat Florentiae ad Sancti Ioannis, de qua aede pulcherrima ipse, prope iam acta aetate, acri cum desiderio recogitabat exsul, optans scilicet et cupiens ibidem poeticam lauream de salutaris lavacri fonte suscipere, ubi infans rite fuisset ablutus. — Cum in eam incidisset aetatem, quae philosophiae divinarumque rerum studiis floreret, doctorum scholasticorum opera, qui lectissima quaeque a maioribus accepta colligerent, subtiliterque ad suam rationem revocata posteris traderent, is, in magna varietate disciplinarum, secutus est maxime Thomam Aquinatem, Scholae principem ; eoque magistro, cuius angelica mentis indoles nobilitata est, fere didicit quidquid philosophando ac de divinis rebus disputando didicit, cum quidem nullum cognitionis scientiaeque genus negligeret, multusque esset in Sacris Scripturis atque in Patrum libris pervolutandis. Ita quavis a doctrina instructissimus, in primis autem christianae sapientiae consultus, cum mentem appulisset ad scribendum, ex ipso religionis regno materiam versibus tractandam paene immensam planeque gravissimam sumpsit. In quo quidem huius incredibilem magnitudinem et vim ingenii mirari licet ; sed simul est ante oculos, multum ei roboris a divinae fidei afflatu accessisse, eoque factum esse, ut suum ipse opus maximum, traditae divinitus veritatis splendore multiplici, non minus quam omnibus artis luminibus distingueret. Etenim haec, quae merito appellatur divina, Comoedia omnis, in iis ipsis quas habet multis locis vel fictas res et commenticias, vel recordationes mortalis vitae, eo demum spectat, ad iustitiam efferendam providentiamque Dei, mundum et in cursu temporum et in aeternitate gubernantis, hominibusque tum singulis tum consociatis aut praemia tribuentis aut poenas, quas meruerint. Quare, congruenter admodum iis quae catholica fide creduntur, in hoc nitet poemate et unius Dei augusta Trinitas, et humani generis ab Incarnato Dei Verbo facta Redemptio, et Mariae Virginis Deiparae, caelorum Reginae, benignitas summa ac libera-

Dante, catholicae religioni ex animo addictus,

doctrina catholica plane imbutus,

ex Revelatione praecipuam hausit materiam poëmatum atque splendorem.

litas, et sanctorum angelorum hominumque beatitudo superna; cui quidem e regione opponuntur apud inferos supplicia impiis constituta, interiecta inter utrumque locum sede animarum quibus, suo tempore expiatis, aditus in caelos pateliat. Atque horum ceterorumque catholicorum dogmatum in toto carmine sapientissimus quidam contextus apparet. — Quod si de caelestibus rebus scientiae pervestigatio progrediens aperuit deinceps eam mundi compositionem sphaerasque illas, quae veterum doctrina ponerentur, nullas esse, naturamque et numerum et cursum stellarum et siderum alia esse prorsus atque illi iudicavissent, manet tamen hanc rerum universitatem, quoquo eius partes regantur ordine, eodem administrari nutu, quo est condita, Dei omnipotentis, qui omnia, quaecumque sunt, moveat et cuius gloria plus minus usquequaque eluceant : hanc autem terram, quam nos homines incolimus, licet ad universi caeli complexum iam non quasi centrum, ut opinio fuit, obtinere dicenda sit, ipsam tamen et sedem beatae nostrorum progenitorum vitae fuisse, et testem deinde tum eius, quam illi fecerunt ex eo statu, prolapsionis miserrimae, tum restitutae, Iesu Christi sanguine, hominum salutis sempiternae. — Ergo triplicem animarum vitam, quam cogitatione finxerat, sic explicavit, ut declarandae, ante extremum divini iudicii diem, vel damnationi reproborum vel piorum manium purgationi vel beatorum felicitati clarissimum lumen ab intima fidei doctrina petere videatur.

Ex eius scriptis maxime docemur

reverentiam erga Scripturam S.,

Iam vero ex iis quae cum in ceteris scriptis, tum praesertim in tripartito tradit carmine, haec potissimum putamus bono esse posse hominibus nostris documento. Primum Scripturae Sanctae summam deberi a christianorum quoque reverentiam, summoque cum obsequio oportere accipi quidquid ea contineatur, ex eo confirmat quia *quamquam scribae divini eloquii multi sint, unicus tamen dictator est Deus, qui beneplacitum suum nobis per multorum calamos explicare dignatus est* [1]. Quod sane pulcre est verissimeque dictum. Itemque illud, *vetus et novum Testamentum, quod in aeternum mandatum est, ut ait Propheta,* habent *spiritualia documenta quae humanam rationem transcendunt,* tradita *a Spiritu Sancto, qui per Prophetas et Hagiographos, qui per coaeternum sibi Dei Filium Iesum Christum et per eius discipulos, supernaturalem veritatem ac nobis necessariam revelavit* [2]. Rectissime igitur de eo quod mortalis vitae cursum sequetur, aevo sempiterno « nos certum habemus, ait, ex doctrina Christi « veracissima, quae Via, Veritas et Lux est : Via quidem, nam ea ipsa ad « immortalitatis beatitudinem nulla re impediti contendimus; Veritas, quia « omnis est erroris expers ; Lux, quia nos in mundanis inscitiae tenebris « illuminat » [3]. — Neque is minus colit atque observat *veneranda illa Concilia principalia, quibus Christum interfuisse nemo fidelis dubitat.* Ad haec, magni etiam ab eo fiunt *scripturae doctorum Augustini et aliorum quos,* inquit, *a Spiritu Sancto adiutos qui dubitat, fructus eorum vel omnino non vidit, vel, si vidit, minime degustavit* [4].

Concilia, doctores Ecclesiae ;

observantiam erga Ecclesiam

Ecclesiae vero Catholicae auctoritati mirum quantum tribuit Aligherius, quantum Romani Pontificis potestati, utpote ex qua quaevis Ecclesiae

[1] Mon. III, 4.
[2] Mon. III, 3, 16.
[3] Conv. II, 9.
[4] Mon. III, 3.

ipsius leges et instituta valeant. Quare nervose illud christianos admonet, cum utrumque Testamentum habeant simulque Pastorem Ecclesiae a quo ducantur, his ad salutem adiumentis contenti sint. Ecclesiae igitur malis sic affectus ut suis, omnemque christianorum a summo antistite defectionem deplorans et exsecrans, Cardinales Italos, post Apostolicam Sedem Roma translatam, ita alloquitur : *Nos quoque eundem Patrem et Filium, eundem Deum et hominem, nec non eandem Matrem et Virginem profitentes, propter quos et propter quorum salutem ter de caritate interrogato, dictum est : Petre, pasce sacrosanctum ovile ; Romam, cui post tot triumphorum pompas et verbo et opere Christus orbis confirmavit imperium ; quam etiam ille Petrus et Paulus, gentium praedicator, in Apostolicam Sedem aspergine proprii sanguinis consecrarunt ; quam nunc cum Ieremia non lugendo post venientes, sed post ipsum dolentes, viduam et desertam lugere compellimur ; piget, heu, non minus quam plagam lamentabilem cernere haeresum !* [1] Itaque Ecclesiam Romanam vel *matrem piissimam*, vel *Sponsam Crucifixi* nominat, Petrum autem, traditae a Deo veritatis iudicem falli nescium, cui de rebus, aeternae salutis causa, credendis agendisve, ab omnibus sit obedientissime obtemperandum. Quapropter, quamvis Imperatoris dignitatem ab ipso Deo proficisci existimet, haec tamen *veritas*, inquit, *non sic stricte recipienda est, ut Romanus Princeps in aliquo Romano Pontifici non subiaceat ; cum mortalis ista felicitas quodammodo ad immortalem felicitatem ordinetur* [2]. — Optima enimvero plenaeque sapientiae ratio, quae quidem si hodie sancte servetur, fructus sane rebus publicis afferat prosperitatis uberrimos.

et Sedem Apostolicam,

cui subsunt etiam Principes saeculares :

At in Summos Pontifices sui temporis perquam acerbe et contumeliose est invectus. — Scilicet in eos, a quibus de re publica dissentiebat, cum ea parte, ut opinabatur, facientibus, quae se domo patriaque expulisset. Atqui ignoscendum est viro tantis iactato fortunae fluctibus, si exulcerato animo quicquam fudit, quod transisse videtur modum : eo vel magis quod ad iram eius inflammandam non est dubium quin hominum, ut assolet, male de adversariis omnia interpretantium, rumores accesserint. Ceterum, quoniam, — quae est mortalium infirmitas, — « necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere » [3], quis neget nonnulla eo tempore fuisse in hominibus sacri ordinis haud probanda, quae animum eius, Ecclesiae deditissimum, aegritudine molestiaque afficerent, cum eadem viris, vitae sanctimonia praestantibus, graves, ut accepimus, quaeremonias expresserint ? Sed enim, quicquid in sacro ordine, seu recte seu perperam, reprehendit indignabundus ac vituperavit, nihil umquam tamen detractum voluit de honore Ecclesiae debito, nihil de Summarum Clavium observantia : quamobrem in politicis suam propriam tueri sententiam instituit *illa reverentia fretus, quam pius filius debet patri, quam pius filius matri, pius in Christum, pius in Ecclesiam, pius in Pastorem, pius in omnes Christianam religionem profitentes, pro salute veritatis* [4].

ignoscendum enim si in quosdam Pontifices invectus sit.

His igitur religionis fundamentis cum omnem sui poematis tamquam fabricam excitaverit, mirum non est, si quasi quendam catholicae doctrinae

Opus Dantis, cum in eo reperia-

1 Epist. VIII.
2 Mon. III, 16.
3 S. Leo M. Serm. 4 de Quadrag.
4 Mon. III, 3.

tur thesaurus doctrinae catholicae,

thesaurum in eo conditum reperias, id est cum philosophiae theologiaeque christianae sucum, tum etiam divinarum summam legum de ordinandis administrandisve rebus publicis : neque enim is erat Alighierius, qui, patriam amplificandi causa vel principibus gratificandi, negligi posse diceret publice iustitiam Deique ius, cuius in conservatione probe sciret civitates niti maxime et consistere.

non modo ad eruditionem artis,

Quare ab hoc Poeta mirificam quidem, pro eius excellentia, licet oblectationem petere, at non minorem fructum et eum ad eruditionem simul artis atque ad disciplinam virtutis aptissimum ; modo, qui eum adierit, vacuo sit praeiudicatis opinionibus animo studiosoque veritatis Quin, cum e nostris non pauci numerentur boni poetae qui omne ferre punctum, ut dicitur, videantur, miscentes utile dulci, habet hoc Dantes, ut singulari lectorem et imaginum varietate et colorum pulcritudine et sententiarum ac verborum granditate capiens, ad christianae sapientiae amorem alliciat atque excitet : ipsumque nemo ignorat aperte professum, ea se mente hoc carmen composuisse, ut aliquod praeberet omnibus vitale nutrimentum. Itaque scimus nonnullos, vel recenti memoria, qui remoti a Christo, non aversi essent, cum huius praecipue lectione studioque tenerentur, divino munere, veritatem primo suspexisse catholicae fidei, ac subinde se in Ecclesiae sinum libentissime recepisse.

sed ad salutares effectus gignendos aptissimum est.

Elucet, proinde quantum bonis artibus faveat Fides,

Quae hactenus memorata sunt, satis ostendunt quam sit opportunum per haec saecularia toto orbe catholico optimum quemque eo fieri alacriorem ad retinendam, fautricem bonarum artium, Fidem, cuius haec ipsa virtus egregie, si umquam alias, in Alighierio spectata est. Etenim in eo non modo summa ingenii facultas efficit admirationem, verum etiam immensa quaedam magnitudo argumenti, quod divina ei religio ministravit ad canendum ; et is quod habuerat a natura tantum acuminis, diu quidem multumque exemplarium veterum contemplatione limavit, sed eo magis exacuit Ecclesiae Doctorum et Patrum disciplinis, ut diximus ; quae res ei tribuit, ut cogitatione et mente multo evolare altius latiusque posset, quam si naturae finibus, exiguis sane, se continuisset. Itaque eum, quamquam a nobis tanto saeculorum intervallo seiungitur, huius paene aetatis dixeris esse, certe longe recentiorem quam quemquam ex his, qui nunc sunt, cantoribus vetustatis eius quam Christus e Cruce victor de medio pepulit. Eadem omnino spirat in Alighierio, atque in nobis pietas ; eosdem habet sensus religio ; iisdem tamquam velaminibus utitur « allata nobis de caelo veritas, qua tam sublime evecti sumus ». Haec eius nobilissima laus est, christianum esse poetam, id est christiana instituta, quorum contemplaretur toto animo speciem ac formam, de quibus mirabiliter sentiret, quibus ipse viveret, divino quodam cecinisse cantu ; quam laudem qui inficiari non dubitant, omnem Comoediae religiosam rationem commenticiae cuidam fabulae comparantes, nulla veritate subiecta, ii profecto id inficiantur quod est in Poeta nostro praecipuum, et ceterarum eius laudum fundamentum.

eadem plane apud Dantem atque est Fides nostra ;

nec mediocriter errant qui Religionem a iuventutis institutione amandant,

Ergo, si tam magnam honestatis amplitudinisque suae partem debet catholicae fidei Dantes, iam, ut alia omittamus, vel hoc uno exemplo illud confirmare licet, tantum abesse ut obsequium mentis animique in Deum ingeniorum cursum retardet, ut incitet etiam et promoveat : item iure colligitur, quam male consulant progressioni studiorum et humanitatis, qui nullum in iuventutis institutione patiuntur esse Religioni locum. Dolendum

est enim disciplinam, qua publice studiosa iuventus instituitur, eiusmodi esse solere, quasi nulla sit Dei habenda homini ratio, nulla earum omnium, quae supra naturam sunt, rerum maximarum. Nam, sicubi « poema sacrum » non habetur scholis publicis alienum, quin etiam in libris numeratur qui sunt studiosius perlegendi, at vitale illud nutrimentum, cui ferendo natum est, plerumque minime affert adolescentibus, utpote, disciplinae vitio, non sic animatis erga ea quae sunt divinae fidei, quemadmodum oportet. Quod utinam haec sollemnia saecularia id efficiant, ut, ubicumque datur opera erudiendae in litteris iuventuti, debito sit in honore Dantes, alumnosque christiana doctrina ipse imbuat; cui quidem in poemate condendo nihil aliud fuit propositum, nisi *removere viventes in hac vita de statu miseriae*, id est peccati, *et perducere ad statum felicitatis*, id est divinae gratiae [1].

verae indolis « poematis sacri » obliti

Vos vero, dilecti filii, quibus auspicato contingit, ut litterarum artiumque optimarum studia, Ecclesia magistra, exerceatis, diligite carumque habete, ut facitis, hunc Poetam, quem appellare christianae sapientiae laudatorem et praeconem unum omnium eloquentissimum non dubitamus. Huius enim in amore quo plus profeceritis, eo vos et perfectius ad veritatis splendorem vestros excoletis animos, et in Fidei sanctae obsequio studioque constantius permanebitis.

Doctores alumnique catholici Dantem diligant.

Atque auspicem divinorum munerum paternaeque benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis omnibus, dilecti filii, amantissime impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxx mensis aprilis MCMXXI, Pontificatus Nostri anno septimo.

Dies (30 apr. 1921).

BENEDICTUS Pp. XV.

ANNOTATIO

Observes rarissimum exemplum *epistolae encyclicae* quae non est directa ad Patriarchas, etc. sed se scriptam profitetur ad Doctores et alumnos artium optimarum orbis catholici.

---

132. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

EPISTOLA 27 APR. 1921

Ad Michaëlem S. R. E. Card. Logue, Archiep. Armachanum: de necessitate et ratione pacis intra fines Hiberniae reconciliandae

(A. A. S., 1 iun. 1921, 13, 256.)

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — **Ubi primum**, cum arderet Europa bello, ad hanc Petri Cathedram, arcano Dei consilio, evecti sumus, non ignoras, summa virium contentione id Nos, pro apostolici officii conscientia, persecutos, ut, quoad possemus, maximis plurimisque mederemur malis, quae tam atrox conflictatio pepe-

Dolet R. P. quod vera pax

[1] Epist. X, § 15.

risset, et pacem inter homines denuo conciliaremus. Quodsi ad pac
restituendam nihil intentatum reliquimus, hortationes Nostras dolen
irritas haud semel cecidisse. Atqui, ut saepe iam diximus, civitates
domi nec foris mansura tranquillitate fruentur umquam, nisi ad ea red
rint christiana principia quae deseruerunt, quaeque instituto suo tra
Ecclesia. Interea vehementer angimur cum cogitamus, gentes adhuc
et quae eam consequuntur bona, nusquam fere redierint; paucas earum premi mole miseriarum quae bellum sunt consecut
Etsi enim arma fere ubique conquievere, ob extremam tamen penuri
rerum quae ad vitam necessariae sunt, multi omnis sexus atque aeta
iique innocentes, absumuntur; usquequaque vero, apud nationes eti
quae a certamine victrices discesserunt, ea apparent sollicitudinis at
anxietatis indicia quae optimum quemque futuros casus formidare iube
In hoc autem aliquantulum consolamur, quod tenuiorum populor
inopiae, ex stipe tam liberaliter undique ad Nos missa, haud se
opitulari potuimus.

at casum maxime miseratur Hiberniae, At cum omnium fere gentium angimur causa, tum maxime solli
mur, dilecte fili Noster, condicione Hiberniae, quae, avitae fidei a
observantiae erga Apostolicam Sedem, vel impendio sanguinis, reti
tissima, vastitatis hodie et caedium indignitatem patitur. Neque
profecto dubitandum, quin acerbissimi eiusmodi eventus sint mag
partem recenti bello tribuendi, unde nec populorum optatis factum
satis, neque ii pacificationis fructus exstiterunt quos populi sibi qui
erant polliciti. Ceterum in publica contentione, quae apud vos ag
Apostolicae Sedi, uti in ceteris eiusdem generis, deliberatum est ne
parti studere, quemadmodum, pro sua prudentia, fecit antehac cons
ter; qua tamen agendi ratione neutiquam prohibemur, quominus il
ominemur optemusque, atque etiam adversas imploremus atque obte
mur partes, ut contentionis istius furor quam primum considat, tam
magnam invidiae flammam stabilis pax sinceraque animorum exci
quae tetra dimicatione vastatur. necessitudo. Neque enim perspicimus, quid sit acerrima dimicatio utri
partium profutura, quando possessiones et praedia teterrime foedi
meque vastantur, vici, rura incenduntur, sacris nec locis nec hominil
parcitur, et utrinque ad internecionem, inermium saepe ac mulier
puerorumque, depugnatur.

Utrasque ergo partes hortatur ut, legatis invicem missis, de pace agant. Nos igitur, Apostolici memores officii, eaque caritate permoti q
homines universos complectitur, Anglos Hibernosque cohortamur,
velint aequo animo perpendere, sitne tempus ab inferenda vi desist
deque aliqua compositione agere. Qua in re opportunum fore putam
si, quod insignes viri, iidemque rerum civilium peritissimi, nuper exc
tarunt effectum detur: id est ut quaestio ab omni Hibernorum ge
delecto cuidam hominum Consilio deferatur disceptanda; quod Co
lium postquam suam aperuerit sententiam, viri utriusque partis auct
tate graviores in unum conveniant, et, rationibus iudiciisque suis ul
citroque propositis, aliquid communi consensu constituant ad rem, s
cero reconciliationis pacisque sensu, dirimendam.

Archiepiscopo aliisque de sua in angustiatos caritate gratulatur, Interea, permagna cum animi voluptate accepimus, te, dilecte
Noster, caritatis stimulis impulsum quae moras non patitur iubeq
omni partium opinionumque remoto discrimine, affectis egenisque ho
nibus opem ferri, consociationem quandam, a Cruce alba nuncupata

constituendam curasse seduloque provehere, cuius est stipem iis iuvandis colligere qui vastationibus et violentiae motibus sint in angustias adducti. Neque minus laetamur, complures alios viros, etsi in religione et re publica dissidentes, tecum praeclara in hac amoris conspiratione consensisse, et communi implorationi vestrae generosos magno numero homines, non modo ex Hibernia, verum etiam ex aliis nationibus, miro animorum ardore esse obsecutos. Quibus quidem, ceterisque quicumque in hoc sanctissimum caritatis opus vel de sua re contulerint vel pecuniam conrogarint, optima quaeque a Domino precantes, ut paternam voluntatem Nostram erga populares tuos tam miseros testificemur, ad te, dilecte fili Noster, perferri volumus ducenta millia libellarum italicarum, quam summam angustiis eorum nonnihil levamenti allaturam confidimus. Oculis vero in caelum conversis, omnipotentem Deum, qui nullas miserabilium filiorum lacrimas sinit sine solacio esse, cum gemitibus imploramus, ut pax vobis placidissima tandem aliquando affulgeat. Cuius quidem auspicem, itemque paternae caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, universoque gregi tibi commisso, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

atque ipse donum mittit.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XXVII aprilis anno MCMXXI, Pontificatus Nostri septimo.

Dies (27 apr. 1921).

BENEDICTUS Pp. XV.

---

133. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

ORATIO IN CONSISTORIO 13 IUN. 1921

De statu rerum in Palestina et in civitatibus Europaeis

(A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 281.)

VENERABILES FRATRES

Causa Nobis quidem vos hodierno die, iterum anno vertente, congregandi ea duplex fuit, ut amplissimum Collegium vestrum suppleremus, rituque sollemni complurium Ecclesiarum mederemur viduitati; sed antequam ad ea quae proposita sunt, veniamus, placet, veteri consuetudine institutoque maiorum, nonnulla de maximis Ecclesiae catholicae negotiis vobiscum communicare.

Pontificem sollicitum tenet status rerum in Palaestina,

Meministis profecto, cum orationem hoc ipso loco ad vos haberemus abhinc duobus annis die X mensis martii, valde sollicitos Nos fuisse, quinam ex bello futurus esset in Palaestina rerum cursus, in ea, inquimus, regione Nobis et christianorum cuique carissima, quam ipse divinus hominum Redemptor suae vitae mortalis actione consecravit. Iam vero illa animi Nostri cura tantum abest ut allevata sit, ut etiam in dies ingravescat

ubi sectae acatholicae inopia incolarum ad suos fines pravos abutuntur,

Nam, quod conquerebamur a peregrinis acatholicorum sectis, christianam appellationem prae se ferentibus, ibi nefarie effici, id ipsum conqueri etiam nunc debemus, videntes ut alacriores quotidie illae in incepto perseverent, opibus abundantes, callideque usae incolarum, ex maximo bello, summa inopia et egestate. Nos quamquam Palaestinorum rebus

tam egenis opitulari, plura beneficentiae instituta fovendo novaque exc
tando, non praetermisimus, nec quoad licuerit, desistemus, tamen oper
eorumdem necessitati parem afferre non possumus, praesertim quia ex ii
facultatibus, quibus, Dei providentis munere, instruimur, calamitos
undique benignitatem Sedis Apostolicae implorantibus succurrendum es
Itaque magno cogimur cum dolore conspicere sensim ruentes in interitu
animas, Nobis penitus dilectas, pro quarum salute tot apostolici homines
in primisque Patriarchae Assisiensis alumni, tam diu multumque labora
verunt.

et gubernium Christianos in gratiam Iudaeorum opprimere

Praeterea, cum foederatorum copiis christiani denuo Loca Sancta i
suam potestatem redegissent, Nos communem bonorum laetitiam part
cipavimus ex animo ; sed ei gratulationi timor ille suberat, quem i
eadem vobis oratione aperuimus, ne ex facto per se praeclaro et laetabi
id consequeretur, ut in Palaestina hebraei iam praevalerent praecipuoqu
quodam iure fruerentur. Non inanem eum fuisse timorem res ips
ostendit. Christianorum enim in Terra Sancta non modo non meliore
factam esse condicionem apparet, verum deteriorem etiam, quam ante
scilicet propter novas civitatis leges et instituta, quae — non dicimu
voluntate auctorum, sed certe re — huc pertinent, ut christianum nom
de eo statu, quem semper usque adhuc ibi obtinuit, deiiciant in gratia
hebraeorum. Ad haec multam videmus a multis dari operam, ut Lo

nec impiis quorundam coeptis obsistere videtur.

Sancta profanentur, atque in voluptarios quosdam secessus convertant
importandis illuc deliciarum illecebris omnisque generis invitamentis
luxuriam ; quae quidem probari nusquam alibi possunt, nedum u
passim augusta religionis exstant monumenta. — Quoniam vero re
Palaestinenses nondum ad perpetuitatem constitutae sunt, iam nun
edicimus, Nos velle ut, cum maturitas Palaestinae ordinandae veneri
Ecclesiae catholicae christianisque universis sua ibi salva et incolum

Catholicorum iura apud Societatem Nationum sunt vindicanda.

iura sint ; de iuribus quidem hebraei generis quicquam deminui Nos sa
nolumus, sed iidem contendimus sacrosancta christianorum iura i
opprimi omnino non debere. Eaque de re omnes, quicumque christiano
populos, vel ipsos acatholicos, gubernant, vehementer rogamus, ut apu
illam Nationum Societatem, cui dicitur mandati Anglici de Palaestin
esse ratio expendenda, instare ne graventur.

Hortatur R. P. ut in Europa vera pax restituatur

Quod si a Terra Sancta oculos in Europam convertimus, hinc quoqu
magnae moles molestiarum Nobis obversantur. Ex iis enim quae scitis pr
xime evenisse, Venerabiles Fratres, plane perspicuum est populorum int
ipsos simultates et iras nondum resedisse, bellique fere incendio restincto
bellicos tamen spiritus vivere. Ergo, quotquot ubique ad gubernacul
rerum publicarum sedent homines bonae voluntatis, omnes etiam atqu
etiam appellamus, petimusque ut, iis auctoribus atque auspicibus, popu
mutuas inimicitias ultro citroque communi saluti iam condonent, et, qua
resident adhuc inter se controversiae, eas, iustitia duce, caritate comit
disceptando dirimant ; itaque miseram Europam pacis tam diu desiderata
demum compotem faciant.

gaudet quod publicas cum S. Sede rationes ineant pleraeque civitates,

In his autem acerbitatibus voluit Dominus Iesus Sponsam suam Eccl
siam suumque in terris Vicarium aliquo solatio benignus consolar
Huiusmodi esse illud intelligitis, quod Civitates paene omnes quibu
publice nulla Nobiscum ratio intercedebat, vixdum confecto bello, matu
rarint, prorsus sua sponte, significare Nobis studium, quo tenerentu

coniunctionis amicitiaeque cum hac Apostolica Sede conciliandae, persuasum habentes id, si ex sententia sibi successisset, non vacuum fore fructibus publicae utilitatis. Nos sollemnem morem retinentes huius Apostolicae Sedis, et illud catholicae doctrinae observantes caput de utriusque potestatis consensione ad commune Civitatis et Ecclesiae bonum, libenter talibus postulationibus concessimus, nulla sane cum iactura eorum quae in hoc genere sunt Nobis principia sanctissima. Ipsa quoque Gallia, cum publice se de complexu matris abstraxisset, nuper eum locum quem apud Iesu Christi Vicarium iam complura saecula obtinuerat, rursus, sexdecim annorum intervallo, occupavit; cuius quidem tam iucundus Nobis atque optimo cuique fuit reditus, quam acerbus discessus fuerat. Quod igitur haud ita pridem difficillimum factu in hac tristitia temporum videbatur, id nunc, Dei providentis nutu, est, ut — ubi improbanda non adsit rerum condicio, Romani Pontificatus impediens libertatem — cultarum gentium respublicae fere universae cum hac Sede Apostolica societatem habeant: quae societas, enixe precamur a Deo, ut, quemadmodum debet esse, sic Ecclesiae singulisque Civitatibus vere exsistat salutaris.

inter quas memoratur Gallia.

Annotatio

Sollemnis haec, plena doloris et spei allocutio nullis commentariis indigere videtur. Animos tamen legentium attentos reddere iuvat ad insinuationem qua communis Pater fidelium denuntiat conspirationem iudaico-massonicam quae fidei et nomini christiano insidiatur.

---

134. — SS. D. N. BENEDICTUS Pp. XV

ACTA SUMMATIM RELATA

A. *Epistolae.*

Epistola seu chirographo quod ipse subsignat, S. Pontifex pastores vel fideles quosdam laudat, adhortatur, etc.

1. *Epistola ad episcopos Poloniae.* (A. A. S., 3 ian. 1921, 13, 11.)

Ad episcopos Poloniae 20 nov. 1920, de S. Corde.

Epistola data d. 20 nov. 1920, S. Pontifex gratulatur episcopis praesertim quod patriam suam SS. Cordi Iesu consecrarunt.

2. *Epistola ad episcopum Trentonen. de cura Italorum commigrantium.* (A. A. S., 10 feb. 1921, 13, 89.)

Ad episcopum Trentonen. 10 dec. 1920, de cura migrantium Italorum.

Epistola data 10 dec. 1920, S. Pontifex episcopo Trentonen. (Trenton, Foed. Stat. Am. Sept.) gratulatur de cura quam gerit Italorum in status foederatos Americae commigrantium: in quorum commodum ecclesias aedificavit, et iuvante munifico viro Iac. C. Brady, scholam quoque erexit. Optat R. P. ut ubique in America transmigrantes itali similem opem iuveniant.

Ad comitatum catholicae Universitatis Mediolanensis 9 feb. 1921.

3. *Epistola ad moderatorem comitatus catholicae Universitati Mediolani condendae.* (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 195.)

Litteris 9 feb 1921 laudat R. P. studium sollertium virorum qui catholicae Universitati Mediolani condendae operam navant, atque summam Ipse pecuniae confert ad suppeditandum sumptus studiorum adolescentium.

Ad R. D. de Szepticky 24 feb. 1921, de collegio Ruthenorum.

4. *Epistola ad R. P. D. Andr. de Szeptycki, archiep. Leopoliensium* de Ruthenorum collegio iterum in Urbe aperiendo. (A. A. S., 6 maii 1921, 13, 218.)

Epistola 24 feb. 1921 R. P., votis annuens R. P. D. de Szeptycki, archiep. Leopoliensium (Leopol, Lemberg) concedit ut collegium Ruthenorum in Urbe, a mense maio 1915 desertum, iterum aperiatur, atque reditus clericis alendis bello penitus exstinctos subministrandos curat. Memoratur quam tetra passus sit populus clerusque Ruthenus et ipse archiepiscopus, flagrante bello, ob suam perseverantem avito ritui fidelitatem, quantamque caritatem ei exhibuerit Sedes Apostolica. Paucorum apostasiam dum deplorat, ob ceterorum artissimam cum cathedra Romana coniunctionem, laetam fovet spem fore ut mox ad effectum deducatur votum Urbani VIII : « Per vos mei Rutheni, Orientem convertendum spero ».

Ad episcopos Helvetiae 1 apr. 1921, de centenario B. P. Canisii.

5. *Epistola ad R. P. D. Mar. Besson, episc. Lausannen. et Geneven. ceterosque Helvetiorum episcopos*, de quarto centenario ab ortu B. Petri Canisii. (A. A. S., 6 maii 1917, 13, 229.)

Epistola 1 apr. 1921 ad episcopos Helvetiorum, laudat R. P. propositum celebrandi quartum centenarium ob ortu B. Petri Canisii cuius sollertiae magna ex parte tribuendum est quod catholici illius regionis a tempore pseudo-reformationis fidem illibatam servaverunt. « Velimus, ait R. P., Petri memoria ita instauretur, ut ex eius vitae exemplis apte propositis christifideles vestri sentiant quanti sibi faciendum sit divinum illud fidei munus pro quo Petrus tam acriter, tam diu decertavit : et viri e clero discant quibus pietatis doctrinaeque armis veritatis ac religionis patrocinium suscipiendum sit. »

B. *Sermo ad parochos et ad quadragesimales in Urbe contionatores.* (A. A. S., 10 feb. 1921, 13, 93.)

Sermo ad quadragesimales contionatores, 7 feb. 1921.

Argumentum sermonis habiti 7 feb. 1921 desumit S. Pontifex ex fine sacrae praedicationis, qui est in continuando fine ipsius Dei Redemptoris, ut nempe *vitam habeant, et abundantius habeant*. Ut autem finem hunc consequatur contionator, utatur oportet mediis iisdem quibus usus est Christus Dominus.

C. *Litterae de erigenda Delegatione Apostolica.*

Delegatio Apostolica Albaniae.

Litteris 12 nov. 1920 erigitur *in Albania* Delegatio Apostolica, quae omnes dioeceses Albaniae attingit sedemque habet in urbe Scodrensi (Scutari). (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 185.)

D. *Litterae de nova provincia ecclesiastica erigenda.*

Prov. eccles. S. Iosephi de Costarica, 16 feb. 1921.

Bulla 16 feb. 1921, dioecesis *S. Iosephi de Costarica*, universam rempublicam Costaricensem complectens, a metropolitico iure archiepiscopi Guatimalensis exempta et ad tres provincias civiles vulgo *S. José, Cartago* et *Heredia* coartata, in archidioecesim erigitur ; provinciae vero *Alajuela, Puntarenas* et *Guanacaste* eiusdem ditionis novam dioecesim *Alajuelensem*

constituunt, dum provincia *Limonensis* in Vicariatum Apostolicum erigitur, uterque suffraganei metropolitanae Ecclesiae S. Iosephi. (A. A. S., 1 iun. 1921, 13, 252.)

E. *Litterae de dioecesibus et quasi-dioecesibus erigendis, mutandis,* etc.

Dioec. Lodzen. 10 dec. 1920.

1. Bulla 10 dec. 1920, decanatus Lodzen., Lancicien. et Klodavien. quae partem occidentalem constituunt archidioecesis Varsaviensis (in Polonia), ab eadem separantur et in novam dioecesim *Lodzen.* (Lodz) eriguntur. (A. A. S., 1 iun. 1921, 13, 249.)

Dioec. Paderbornen. 1 mart. 1921.

2. Litteris 1 mart. 1921, missiones ducatus *Anhaltini* (in Germania) quae hucusque sub administratione episcopi Paderbornensis exstabant, dioecesi *Paderbornensi incorporantur.* (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 296.)

Archid. Caietana et dioec. Verulana, 21 mart. 1921.

3. Bulla 21 mart. 1921, oppidum *Nalliscursa* ab archidioecesi Caietana (in Italia) dividitur et finitimae dioecesi *Verulanae* incorporatur. (A. A. S., 1 iun. 1921, 13, 255.)

Abb. nullius S. Petri ap. Muenster, 6 maii 1921.

4. Bulla 6 maii 1921, abbatia *S. Petri apud Muenster* O. S. B. (Canada) cum territorio annexo a dioecesi Principis Alberti et Saskatoonensi dividitur, et in abbatiam *nullius* erigitur. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 290.)

F. *Litterae de Vicariatibus vel Praefecturis Apostolicis erigendis, mutandis.*

Vicar. de Ontario Sept., 27 nov. 1920.

1. Litteris 27 nov. 1920, Praefectura Apostolica de *Ontario Septemtrionali* (Canada) in Vicariatum erigitur. (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 186.)

Vicar. S. Leonis de Amazonas, 22 feb. 1921.

2. Litteris 22 feb. 1921, Praefectura Apostolica *S. Leonis de Amazonas* (in America Merid.), adiecto Praefecturae Putumayensis integro territorio, detractis vero quibusdam regionibus in ditione Peruana sitis, in Vicariatum erigitur. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 294.)

Praef. S. Gabrielis de Maranon, 27 feb. 1921.

3. Litteris 27 feb. 1921, ex regionibus ab antiqua praefectura S. Leonis de Amazonis detractis, quae nempe extenduntur circa flumen Maranon seu Amazonas superiores eiusque affluentes, intra limites Reipublicae Peruanae et usque ad rivos Hunoway et Ancutiyo, instituitur nova Praefectura Apostolica, a S. Gabriele a Virgine Perdolente *de Maranon* nuncupanda atque Congregationi a Passione D. N. Iesu Christi commissa. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 295.)

Praef. de Kwango, 11 mart. 1921.

4. Litteris 11 mart. 1921, pars territorii ad sinistram fluminis Loango (in Congo belgico) sita, a Vicariatu Apostolico de Kassai superiore separata, Praefecturae Apostolicae de *Kwango* unitur. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 297.)

G. *Litterae de Basilicis et ecclesiis.*

Novae Basilicae minores, vel alii honores ecclesiis collati.

Usus Pontificis.

Solet S. Pontifex insignia Urbis et Orbis templa titulo et privilegiis basilicae minoris honestare. Gratia conceditur litteris in forma brevis quibus antiquitas, pretiosae memoriae, supellex, assiduitas cleri laudantur. Litterae dari consueverunt auditis Cardinalibus S. Rituum Congregationis praepositis. Una cum titulo confertur privilegium deferendi tintinnabulum et conopaeum, cui ecclesiae stemma (non tamen auro vel argento ornatum) addere licet. Itaque :

Basilicarum minorum privilegia.

Basilicae minores declarantur :

Novae basilicae.

1. Brevi 18 maii 1920, ecclesia S. Ioa. de Deo in civitate episcopali *Macaraibo*, dioec. Zuliensis (Venezuela), quam frequentes adeunt etiam

Ecclesia S. Ioa. de

Deo in Macaraibo.

a dissitis regionibus ut imaginem a B. M. V. de la Chiquinquira venerentur. (A. A. S., 3 ian. 1921, 13, 5.)

Ecclesia S. Mariae Magd. in Vezelay.

2. Brevi 28 iun. 1920, ecclesia curialis S. Mariae Magdalenae in *Vezelay*, dioec. Senonensis. Erecta saec. IX et vetustae abbatiae annexa, a clarissimis viris visitata, hodie quoque frequens invisitur a cultoribus S. Mariae Magdalenae, quae ei patrona data est a. 1050 bulla S. Leonis Pp. IX. (A. A. S., 3 ian. 1921, 13, 6)

Ecclesia B. M. V. de Monte Carmelo in Recife.

3. Brevi 16 iul. 1920, ecclesia B. M. V. de Monte Carmelo in urbe *Recifensi*, dioec. Pernambucen. (Brasilia), quam ad venerandam imaginem B. M. V. iam a saec. XVI frequentes adeunt fideles. (A. A. S., 3 ian. 1921, 13, 8.)

Eccl. B. M. V. de Mercede in Quito.

4. Brevi 11 dec. 1920, ecclesia B. M. V. de Mercede sub titulo « Liberatricis a terraemotu » in civitate *Quitensi* (America Merid.) (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 187.)

Eccl. SS. Cordis Diamantinae.

5. Brevi 10 dec. 1920, ecclesia SS. Cordis Iesu in civitate *Adamantina* (in Brasilia), Sacerdotibus Missionis concredita. Exstat ibi pia consociatio cui titulus ab « Honorifica custodia SS. Cordis Iesu » quam Leo XIII a. 1894 in archisodalitatem erexit. (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 188.)

Eccl. Nativitatis B. M. V. Sengleae.

6. Brevi 3 ian. 1921, ecclesia Nativitatis B. M. V. in civitate *Sengleo* (Melitensis insulae), olim erecta in gratiarum actionem victoriae in Turco reportatae a. 1565. Occasionem collationi novae praerogativae praebet coronatio statuae Mariae infantis, vulgo « Maria Bambina » quae ibidem colitur. (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 190.)

Eccl. S. Ignatii Azpeitiae.

7. Brevi 25 ian. 1921, ecclesia S. Ignatii Loyola in oppido *Azpeitia* (in Hispania), collegio Loyolaeo provinciae Castellanae S. I. adiacens. Eo in loco exstat, « ubi idem Sanctus, Societatis Iesu fundator, natus est, et, redux a bello, saucius, divina gratia perculsus, militiae hominum valedixit ut se totum Christi militiae manciparet ». (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 191.)

Eccl. SS. Cordis in Urbe.

8. Brevi 11 febr. 1921, ecclesia parochialis SS. Cordis Iesu *ad castrum praetorium* in Urbe, curae Societatis S. Francisci Salesii commissa. Ipse Salesianorum fundator, Ven. D. Bosco, stipe undique collata, in nova Urbis regione, populo confertissima, hoc sanctuarium erigendum curaverat. (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 192.)

Eccl. B. M. V. de Miseric. Maceratae.

9. Brevi 21 apr. 1921, ecclesia B. M. V. de Misericordia, in urbe *Maceratensi* (in Italia) a. 1447 primum condita, a. 1742 de integro a fundamentis exstructa ; in qua perantiqua asservatur Deiparae Virginis imago, miraculis inclyta. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 305.)

H. *Litterae de abbatia erigenda.*

Abbatia B. M. V. Lendinarae.

Brevi 15 dec. 1920, sanctuarium B. M. V. vulgo « del pilastrello » loci *Lendinara* in dioecesi Adrien. (in Italia), Congregationi Olivetanae O. S. B. dudum commissum, ubi asservatur miraculosa statua B. M. V. divinum infantem ulnis foventis, in abbatiam erigitur. In primum abbatem nominatur R. P. Cael. M. Colombo, eiusdem Sanctuarii rector et contigui coenobii prior. (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 189.)

I. *Litterae de indulgentiis et privilegiis.*

Sacellum Portiunculae.

1. Litteris 16 apr. 1921, indulgentia plenaria toties quoties in sacello *Portiunculae* prope Assisium die 2 augusti lucranda, ad omnes et singulos dies anni extenditur, ea tamen lege ut non in basilica S. Mariae Angelorum sed tantum in ipso Portiunculae sacello, fideles eam lucrari valeant, nec ad

ceteras etiam Ordinis Minorum ecclesias haec amplificatio indulgentiae extendi queat. Notandum est his litteris, post longam de hac re disceptationem, sanciri *consuetudinem* quae ab immemorabili tempore invaluerat in sacello Portiunculae lucrandi celebrem indulgentiam singulis anni diebus. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 298.)

Unio apostolica a SSo Corde.

2. Litteris 17 apr. 1921, *Unio Apostolica sacerdotum saecularium*, a SSo Corde Iesu dicta, cuius sedes ponitur in sacello S. Dionysii Basilicae SSi Cordis in Monte Martyrum Lutetiae Parisiorum, in Primariam erigitur cum facultate alias sibi Uniones eiusdem instituti ubique terrarum aggregandi. Sodalibus conceduntur vel amplificantur indulgentiae variaque spiritualia privilegia. Unio apostolica sodales iam numerat in Belgio, et in plerisque Europae ditionibus, sed et in America septemtrionali et meridionali, in Australasia, Cocincina, Indiis orientalibus aliisque dissitis terris. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 302.)

---

135. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 30 MART. 1921

Damnantur sacrae imagines cuiusdam novae scholae pictoricae

(A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 197.)

Imagines sacrae cuiusdam scholae pictoricae ex c. 1399, n. 12 damnata declarantur.

Emi ac Rmi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, in ordinario consessu habito feria IV, die 23 februarii 1921, publice declarandum censuerunt : Imagines sacras cuiusdam novae scholae pictoricae, quarum specimen exhibetur in opusculo cui titulus : *La Passion de Notre-Seigneur Jésus-Christ* par Cyril Verschaeve (ornée de compositions d'Albert Servaes. Bruxelles et Paris. Librairie Nationale d'art et d'histoire, G. van Oest et Cie Editeurs, 1920), ad praescriptum canonis 1399, n. 12, prohiberi ipso iure, ideoque statim removendas esse ab ecclesiis, oratoriis, etc., in quibus forte expositae inveniantur.

Et insequenti feria V, die 24 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Benedictus divina Providentia Papa XV, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, mandans ad quos spectat ut eam servent et servare faciant.

Dies (30 mart. 1921).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 30 martii 1921.

A. Castellano, *Supremae S. C. S. Off. Notarius.*

Annotationes

1. Prohibitio praesens solum respicit *usum sacrum* vel *religiosum* praefatarum imaginum, sicut ipsa demonstrat conclusio « ideoque (imagines istas) statim removendas esse ab ecclesiis, oratoriis, etc. in quibus forte expositae inveniantur ».

2. Ratio vero prohibitionis indicatur eodem decreto, quo allegatur c. 1399, n° 12. Canone isto prohibentur imagines quoquo modo impressae D. N. I. C. etc. ab Ecclesiae sensu et decretis alienae.

Hoc unum observabimus, a S. Officio traduci ad ipsas manu depictas imagines, quod c. 1399 solumodo edicit de imaginibus arte quadam multiplicatis. (Cf. nostrum *De prohibitione et censura librorum;* ad art. 15 C. *Officiorum et munerum*, Leonis XIII.)

Directa prohibitio imaginis etiam pictae colligi potest ex Trid. s. 25, *De invocatione... et sacris imaginibus*. Haec lex, cum sit liturgica, non debuit Codice confirmari.

3. Pictor ipse, Servaes, nomen habet et meretur viri sincere catholici. Genus autem picturarum in hanc reprehensionem incurrit, quod insuetis formis horrorem quendam pariat et pro suavi devotionis affectu sensus potius violenter commoveat.

Qui plura de hac re cupierit, legat in *Nouvelle Revue Théologique*, juillet 1921 (t. 48, p. 337 ss) lucubrationem eleganter atque erudite conscriptam a R. P. Maréchal, S. I. hoc titulo : *Un décret récent du Saint-Office en matière d'iconographie religieuse.*

136. — S. CONGR. S. OFFICII

ACTA SUMMATIM RELATA

Opera damnata.

A. 1. Decreto 14 ian. 1921, damnantur periodica :

a. *Religio*, Rassegna di storia delle religioni, fondata da Nicola Turchi, diretta da Giulio Farina. Roma, Ausonia.

b. Rivista trimestrale di studi filosofici e religiosi, diretta da Alessandro Bonucci. Perugia, via Baldeschi, 2. (A. A. S., 24 ian. 1921, 13, 43.)

2. Decreto 22 apr. 1921, in indicem inseritur opus Edmond Cazal, *Sainte Thérèse*, Paris, Ollendorf, iam praedamnatum ad praescriptum c. 1399, nunc autem nominatim insertum, ne ex titulo libri in errorem inducantur fideles. (A. A. S., 6 mail 1921, 13, 222.)

Submissio auctoris.

B. Dr Wilbrand, auctor libri cui titulus : *Kritische Erörterungen über den Katholischen Religionsunterricht an höheren Schulen*, decreto 10 nov. 1920 in indicem relati, se subiecit et opus reprobavit. (A. A. S., 24 ian. 1921, 13, 42.)

Decretum declaratorium excommunicationis.

C. Decreto 14 ian. 1921 excommunicationem ac proin suspensionem *a divinis* incurrisse declaratur sacerdos Ernestus Buonaiuti, quippe qui a multis annis propositiones erroneas, immo manifeste haereticas docuerit et cum pertinacia propugnaverit, nec sincere resipuerit, licet, admonitus, pluries de submissione protestatus sit eamque iuratus asseruerit 13 iul. 1916. Nuper adhuc, in periodico *Religio* (iul.-sept. 1920) dogma praesentiae realis negavit. (A. A. S., 24 ian. 1921, 13, 42.)

137. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECLARATIO 7 MART. 1921

Circa facultates Ordinariorum

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 134.)

Donec definitiva norma statuatur, adhuc vigent facultates anni 1918.

Cum aliquando R^mi Ordinarii SS. Congregationibus preces porrigant, ut speciales facultates sibi concedantur ; iuxta *formulas* quae olim dabantur a S. Congregatione de Propaganda Fide, iisdem declaratur quod definitiva norma super hac re quamprimum statuetur et notificabitur. Interim vero sciant R^mi Ordinarii adhuc vigere facultates quae durante bello a S. Congregatione Consistoriali concessae fuerant, decretis diei 25 aprilis 1918 et 2 augusti eiusdem anni.

Dies (7 mart. 1921).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 7 martii 1921.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
Aloisius Sincero, Assessor.

Annotationes

1. Facultates 25 april. et 2 aug. 1916 exscriptae sunt in *Per.* IX, pp. 116 et 121.

Legentibus allegata decreta perspicitur facultates istas non omnibus Ordinariis esse concessas, sed proprias esse, alias Ordinariorum Americae, Insularum Philippinarum, Indiarum Orientalium, Africae extra Mediterranei maris oras, Russiae ; alias Ordinariorum Galliae, trium regnorum Magnae Britanniae, Germaniae, Austriae et Poloniae.

Praeterea, prioribus facultates concessae quidem sunt ad quinquennium, a 18 maii 1918 computandum ; posterioribus vero, tantum durante bello, et quatenus aditus ad S. Sedem difficilis aut impossibilis, saltem per mensem praevideatur.

2. Quare, per se loquendo, priores facultates adhuc vigere manifestum est, dum aliae facultates exstinctae demonstrantur, sive diem consideres ad quem datae erant (durante bello), sive ipsam condicionem cui obnoxiae erant factae.

Neque id satis. Crescit obscuritas praesentis responsi si attendas ad decretum 2 aug. 1918.

In hoc decreto enim voluit S. Congregatio votis satisfacere episcoporum remotiorum Americae, etc. qui, saeviente bello, postularant ut ipsis idem quod Galliae, etc. Ordinariis fuerat concessum. Aliis tamen verbis S. Congregatio usa est, ac mere suppressit condicionem in priore gratia expressam, recursus facti ad S. Sedem, cuius responsum exspectari non posset. Id tamen pro tempore belli praesentis indulgere dicebat.

3. Nunc autem, cum S. Congregatio simpliciter moneat : « sciant Rev^mi Ordinarii adhuc vigere facultates quae durante bello a S. Congr. Consistoriali concessae fuerant decretis 25 apr. 1918 et 2 aug. eiusdem anni » nihil superesse videtur nisi ut concludamus facultates, etiam quae per se erant peremptae iam esse prorogatas. Itaque :

a) Ordinarii *locorum remotiorum* simpliciter dispensare possunt ab impedimentis minoribus et maioribus matrimonii (excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta consummato matrimonio) et ab impedimento impediente mixtae religionis.

b) Ordinarii vero Galliae, etc. idem possunt dummodo haec condicio habeatur : « quotiens aditus ad S. Sedem difficilis aut impossibilis saltem per mensem praevideatur ». Verum ex ipsa causae expositione in decreto 2 aug. 1918, videtur praefatam condicionem ita intellegi posse : « si plus quam mensis requiratur ut S. Sedes adeatur ». Adire autem S. Sedem, plus est quam supplicem libellum mittere qui intra mensem perveniat ; sed supponit ipsum responsum intra mensem obtineri posse.

4. Omnibus autem Ordinariis imponitur haec condicio communis, ut in fine anni cuiusque iuribus utilibus S. C. de Sacramentis satisfecerint, solvendo taxas ac si ad S. Sedem recurrissent.

5. Difficilis interpretatio praesentis declarationis magis optandam reddit mox promissam normam definitivam.

Interea vero, iam monuimus t. IX, p. 118, a S. C. *de Sacramentis* novas formulas esse paratas quibus Ordinarii, id ob rationabilem causam petentes, dispensare possunt a minoribus matrimonii impedimentis, et, in casu urgentiori, etiam a maioribus.

---

138. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESOLUTIO 6 NOV. 1920

Super privilegio ordinandi absque litteris dimissorialibus, nonnullis Seminariis seu Collegiis ecclesiasticis iampridem concesso

(A. A. S., 1 iun. 1921, 13, 259.)

Privilegium ordinandi sine dimissorialibus

Quum nonnulla ecclesiastica collegia seu Seminaria, quae alumnos ex dissitis civitatibus colligunt, anteactis temporibus privilegio donata fuerint promovendi ad ordines alumnos sine litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, dumtaxat *de consensu Superiorum* ipsius collegii, vel *de licentia Cardinalis Protectoris collegii et de consensu Rectoris*, vel

etiam *cum litteris testimonialibus Rectoris*, quaesitum est, utrum in praesenti, mutatis temporum et locorum adiunctis et Codice iuris canonici promulgato, memorata privilegia adhuc perseverent.

Quaestione de mandato SSmi Domini Nostri penes S. Congregationem Consistorialem pertractata, Emi Patres, in plenario consessu diei 8 ianuarii huius anni, rebus omnibus perpensis, censuerunt : memoratum privilegium, cessatis causis ob quas concessum est, cessare debere, et ius commune esse restituendum, incolumi tamen iure collegii S. Congregationis de Propaganda Fide ab Urbano VIII brevi *Ad uberes*, diei 18 maii 1638 concesso, aliorumque Seminariorum seu collegiorum pro missionibus, a S. C. de Propaganda Fide dependentium.

revocatur, salvo iure collegiorum dependentium a S. C. de Propag.

Ssmus Dominus Noster Benedictus Pp. XV, in audientia diei 5 novembris 1920 hanc resolutionem ratam habuit et confirmavit, eamque publici iuris fieri mandavit, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 6 novembris 1920.

Dies (6 nov. 1920).

C. Card. De Lai, Episc. Sabinen., *Secretarius.*
Aloisius Sincero, Adsessor.

Annotationes

1. Perspicuis verbis revocantur privilegia seminariorum aut collegiorum promovendi alumnos dissitarum regionum sine litteris dimissoriis propriorum Ordinariorum. Ac ratio additur, cessasse causas privilegiorum. Quasnam ? Id ignoramus, ac rescire iuvaret, praesertim cum incolume maneat simile privilegium S. C. Prop. Fidei, cuius proin rationes cessasse non videntur.

2. Breve porro *Ad uberes* 18 maii 1638 concedit ut alumni et convictores S. C. P. F. et alii « qui quoquo modo ad instantiam eiusdem Congr. in praesentiarum Romae vel alibi educantur et in futurum educabuntur » absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum promoveri possint, dummodo habeant litteras testimoniales rectorum aut eorum apud quos educantur et instruuntur [1]. Ideo, in ipso decreto, reservatum est quoque privilegium seminariorum seu collegiorum pro missionibus, a S. C. de Propaganda Fide dependentium.

---

139. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

ACTA SUMMATIM RELATA

A. *Mutationes in dioecesium finibus, titulo,* etc.

1. *Fines commutantur* dioecesium Monasterien. (Münster i. W.) et Paderbornen. 3 feb. 1921. (A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 132.)

Monasterien. et Paderbornen.

[1] *Iuris pontificii de Propaganda Fide*, Pars I, Vol. I, p. 173.

Principis Alberti.

2. *Denominatio* dioecesis « Principis Alberti » (Canada) mutatur in « Principis Alberti et Saskatoonensis » 30 apr. 1921. (A. A. S., 6 maii 1921, 13, 226.)

Mariannen. et Aterraden.

3. *Dismembrationes et uniones.* Duo municipia in regione Brasiliana sita, ab archidioecesi Mariannen. dismembrantur et dioecesi Aterraden. uniuntur decreto 22 feb. 1921. (A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 132.) — Decreto 25 apr. 1921, dioecesis Brixinen. (Brixen, in Austria) a provincia ecclesiastica Salisburgen. (Salzburg) separatur et Apostolicae Sedi immediati subiecta constituitur. (A. A. S., 6 maii 1921, 13, 226.) — Decreto 20 maii 1921, duae missiones vulgo *Covendo* et *S. Anna* a dioecesi Pacen. (La Paz in Bolivia) dismembrantur, et Vicariatui apostolico de Beni uniuntur. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 308.)

Brixinen. et Salisburgen.

Pacen. et de Beni.

Queretaro.

4. *Translatio cathedralis ecclesiae.* Cathedra episcopalis de Queretaro (in republica Mexicana) quae successive in tribus eiusdem civitatis ecclesiis ad tempus constituta fuerat, stabili modo in templum S. Philippi Neri eiusdem quoque civitatis transfertur decreto 1 mart. 1921. (A. A. S. 11 mart. 1921, 13, 133.)

Absolutio a censuris.

B. Die 5 mart. 1921 pro notitia communicatur, episcopum Londinen. (in Canadensi regione), vigore specialium facultatum, a censuris in foro externo absolvisse sacerdotem Phil. Gnam, eiusdem dioecesis, qui decreto Consistoriali 14 maii 1914 nominatim et personaliter excommunicatus fuerat atque vitandus declaratus. (A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 134).

Candidati ad episcopatum in Scotia,

C. *De proponendis ad episcopale ministerium in Scotia.* Decreto « *Maximam semper* », d. 20 nov. 1920, S. C. Consistorialis normas definivit quibus episcopi Scotiae, investigationibus secretissime factis, in coetu triennali suffragia ferent de iis qui ad ministerium episcopale suscipiendum optimas dotes habere et S. Sedi proponendi videantur. (A. A. S., 3 ian. 1921, 13, 13.)

in Brasilia.

De proponendis ad episcopale ministerium in Brasilia. Decreto « *Quae de eligendis* », d. 19 mart. 1921, normae similes definiuntur pro Brasilia. (A. A. S., 6 maii 1921, 13, 222.)

Collegium sacerdotum pro Italis migrantibus.

D. Die 26 maii 1921, notificantur leges quibus regitur *pontificium Collegium Sacerdotum pro Italis ad exteras regiones migrantibus*, a Pio X *Motu proprio* 13 mart. 1914 institutum, a Benedicto XV nuperrime apertum Romae (Via della Scrofa, 70). « Collegii finis est ut praeparet iuniores sacerdotes, ad Italos in peregrinas regiones migrantes honeste et religiose excolendos et iuvandos. » Studiorum curriculus ordinarius erit unius anni, et sequentes complectitur disciplinas : *a*) linguas exteras, iuxta regiones ad quas potissimum unusquisque destinatur ; *b*) iurisprudentiam civilem, mores et consuetudines earundem regionem ; *c*) disciplinam apologeticam et pastoralem ; *d*) sacram liturgiam et cantum ecclesiasticum ; *e*) elementa habendi et reddendi rationes ; *f*) elementa hygienis et medicinae.

Sacerdotes autem, etiam dum in missione in extera regione versantur, dioecesim suam in Italia minime amittunt, nisi in aliam legitime incardinentur. Durante missione, quae regulariter erit decem annorum, subiciuntur Ordinario loci. Expletis vero decem annis, ad propriam in Italia dioeces redire poterunt. (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 309).

140. — S. CONGR. CONCILII

ACTA SUMMATIM RELATA

Nominatio vicariorum cooperatorum inaudito parocho.

A. Die 13 nov. 1920, respondit S. Congr. non posse servari consuetudinem centenariam, in archidioecesi Zagabriensi vigentem, *nominandi vicarios cooperatores inaudito parocho*, sed servandum esse can. 476, § 3.

In casu enim, ex ipsis terminis quibus dubium proponebatur, apparet consuetudinem illam ad normam can. 5 submoveri posse, nec « facile quis exponere valeat quid incommodi suboriturum sit, si, de persona nominandi coadiutoris, prius coadiuvandus interpelletur, nulla statuta obligatione illius sententiam sequendi » (c. 105, 1°). Votum consultoris, in oppositam partem conceptum, historiam disciplinae ecclesiasticae quod ad nominationem vicariorum cooperatorum perstringit. (A. A. S., 24 ian. 1921, 13, 43.)

Dependentia Conferentiarum S. Vincentii a Paulo *a potestate Ordinarii.*

B. Die 13 nov. 1920, in causa Corrienten. *Iurisdictionis*, de potestate quam haberet Ordinarius in Conferentias S. Vincentii a Paulo, S. C. C. mere respondit « Ad mentem ». Ac mentem esse significavit ut scriberetur ad episcopum sibi competere ius et officium vigilandi, et curandi ne quid ibi contra fidem et mores attentetur, atque corrigendi et reprimendi abusus, si qui irrepserint.

Hac sua responsione Emi Patres tacite approbarunt eruditum votum Consultoris qui prius luculente demonstravit, in Ecclesia, etiam nunc, praeter *associationes ecclesiasticas* auctoritate Ecclesiae seu canonice erectas, exsistere, commendari, et indulgentiis ditari posse societates *laicas*, quae legibus canonum 689 ss. non subsunt ac sibi statuta condunt libere, sine ulla formali approbatione ; easdem tamen sicut ipsas laicas personas subiacere Ordinarii iurisdictioni, qui invigilare debet ne abusus irrepant, atque interdum etiam ratione operis quod aggrediantur magis ab episcopo dependere : v. g. in scholis episcopus modum instructionis religiosae definit.

Deinde ostendit conferentias Vincentianas cum generatim tum in republica Argentina non esse nisi laicas societates, ita ut immunes sint a canonibus Codicis de confraternitatibus et piis unionibus.

N. B. Valde notabile est hoc votum. Observes admitti quoque *hospitalia* laica ; *cappellanias* laicales, immo *confraternitates laicales*, quae sunt societates in finem pium initae, in quibus tamen auctoritas ecclesiastica ad iuris effectus non interveniat. Idem consultor allegavit Codicis canonem 684, et c. XV decreti S. C. Consistorialis de relatione status dioecesis, ab episcopis facienda. (A. A. S. 11 mart. 1921, 13, p. 135.)

De competentia quod ad lites de propriis sedilibus.

C. Die 11 dec. 1920, in causa Paderbornen. ad dubium num sustineri possit consuetudo fidelium in variis dioecesibus Germaniae adeundi *iudicem civilem* pro decidendis litibus de propriis sedilibus in ecclesiis, sive lis sit inter ipsos possessores sedilium, sive inter eos et rectores ecclesiarum, respondit S. C. C. « tolerari non posse ut, si partes libere recurrerint ad Ordinarium, remittantur ad tribunal laicale » ; praeterea, in universum, curandum esse ut consuetudo de qua in casu removeatur. — Attenditur praesertim natura harum causarum quae non tam mixti

fori (c. 1553, § 2) quam spiritualibus annexae dicendae sunt (c. 1553, § 1, 1°; cf. c. 1184, 4°; 1263). (A. A. S., 1 iun. 1921, 13, 262.)

Quibusnam cedant fallentiae.

D. Die 15 ian. 1921, in causa *Maioricen.* distributionum, censuit S. C. Concilii canonicos qui vi indulti pontificii lucrantur distributiones inter praesentes, in partem etiam venire *fallentiarum*, iis tamen exceptis quae proveniant ex distributionibus *inter praesentes tantum*.

Fallentiarum nomine veniunt quotae amissae a canonicis absentibus a choro, quae praesentibus accrescunt.

Distinguendae autem sunt *distributiones ordinariae* seu *cotidianae*, quae debentur propter praesentiam choralem, et *distributiones extraordinariae* seu *inter praesentes tantum*, quae interdum competunt canonicis propter assistentiam quibusdam officiis ad quae vi suae praebendae non tenentur. Hae distinguuntur *fixae*, quarum opportunitas quotannis v. g. propter anniversaria recurrunt; aliae vero *incertae*, si ex funere, exsequiis superveniant.

Ratio vero responsi inde facile colligitur. Qui vi indulti lucrantur quamvis physice absentes, distributiones inter praesentes, assimulantur praesentibus: hi vero lucrantur fallentias.

Excipiuntur tamen *fallentiae* profectae a distributionibus inter *praesentes tantum*, quia expressa voluntas fundatorum vel oblatorum est ut *soli* physice praesentes eas percipiant (c. 422, § 2).

N. B. P. 202, l. 1, A. A. S. videntur quaedam verba excidisse, ita ut sic legi debeat: « quo conceduntur distributiones inter praesentes *amissis in omnibus casibus, distributionibus* inter praesentes tantum » (A. A. S. 4 april. 1921, 13, 198.)

De stipendiis missarum libere transmittendis (c. 838).

E. Die 19 feb. 1921, respondit S. C. C. dispositionem Concilii Provincialis N. prohibentem quominus missae celebrandae dentur extra uniuscuiusque dioecesim absque Ordinarii licentia, sustineri posse quod ad missas fundatas, vel ad instar manualium, vel manuales datas intuitu causae piae; quod ad reliquas vero servandum esse can. 838. Priores enim missae legantur vel dantur loco potius quam personae, atque, ex iurisdictione et alta administratione quae sibi in locum competit, poterit Ordinarius normas in iis stipendiis transmittendis servandas praescribere; dum posteriores, utpote non loco sed personae datae, ex can. 838 *possunt* ab accipiente transmitti quin requiratur licentia proprii Ordinarii. Consulto omissa fuisse videtur mentio licentiae petendae ab Ordinario sacerdotis transmittentis, tum in decretis S. C. C. *Ut debita*, 11 maii 1904, et *Recenti decreto*, 21 maii 1907, tum quoque in can. 838, ne nimirum facilius Ordinarius, de operibus propriae dioeceseos sollicitus, impediat exercitium opportunissimae caritatis erga indigentes sacerdotes vel ecclesias aliarum regionum. Itaque generalis dispositio qua exigeretur licentia proprii Ordinarii in casu, non tantum *praeter* sed vere *contra* ius esse demonstratur. (A. A. S., 6 maii 1921, 13, 228.)

141. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

NORMAE EX DECRETO 6 MART. 1921

secundum quas sacra Congregatio de religiosis in novis religiosis congregationibus approbandis procedere solet [1]

(A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 312.)

PROOEMIUM

Quid sint hae Normae.

1. Parvus hic Normarum codex nihil aliud est quam sectio prior Normarum pro approbandis religiosis Institutis votorum simplicium, quae auctoritate Sacrae Congregationis EE. et RR., anno 1901, in lucem prodierunt, novo tamen Codici universali iuris canonici accommodata. Secunda enim sectio Normarum, post Codicis promulgationem, iam non videtur necessaria, cum constitutionum scriptores et prae oculis habere debeant canones, qui religiosos respiciunt, et consulere possint probatos auctores, qui de religiosis, post editas praefatas Sacrae Congregationis EE. et RR. Normas, scripserunt [1].

Duplex finis Normarum: iuvare S. Congregationem,

Ordinarios locorum et Superiores religiosos.

2. Sicut vero novae Normae antiquarum titulum adamussim retinent, ita et eundem duplicem finem. Huc enim spectant :

a) ut in novis religiosis Congregationibus earumque constitutionibus approbandis stabilis quaedam praxis servetur ;

b) ut, tam locorum Ordinariis, quam ipsarum Congregationum Superioribus, documenta et informationes, ad Sacram Congregationem transmittenda, in prospectu sint, quo huiusmodi approbationum negotia facilius et celerius expediantur.

CAPUT I

De diversis gradibus approbationis religiosarum Congregationum

Antequam nova condatur religio, S. Congr. docenda est

3. Quoties aliquis Episcopus, iuxta canonem 492 § 1, novam aliquam religiosam votorum simplicium Congregationem condere opportunum iudicaverit, re adhuc integra, Sacram Congregationem de Religiosis adeat, eam distincte docendo de iis, quae necessaria sunt, ut ipsa Sacra Congregatio de opportunitate novae fundationis mature iudicare possit [2].

---

[1] Nemini liceat sine venia Sanctae Sedis harum Normarum versiones in alias linguas edere.

ANNOTATIONES

[1] In novo textu, voci « *institutum* » fere semper suffecta est vox « *Congregatio* », qua designantur religiones votorum simplicium (c. 488).

[2] *Re adhuc integra.* Res integra manet, dum personae piae quae congregantur vestem et obligationes religionis non assumunt, sed veste modesta formam vitae religiosae, experimenti causa, ducunt. Ubi vero religio iam est de consensu

de eius auctore, fine, titulo, habitu, operibus, opibus, similitudine cum alia dioecesis religione.

4. Docebit praesertim, quis qualisque sit novae Congregationis auctor et qua is causa ad eam instituendam ducatur; quibus verbis conceptum sit Congregationis condendae nomen seu titulus; quae sit forma, color, materia habitus a novitiis et professis gestandi; quot et quaenam sibi opera Congregatio assumptura sit; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur; an similes in dioecesi sint Congregationes, et quibus illae operibus insistant.

Licentia a S. Congr. concessa indolem iuridicam novae religionis non mutat.

5. Licentia vero obtenta, iam nihil obstabit, quominus novam Congregationem condat. Congregatio tamen ita condita iuris erit dioecesani; ac propterea, etiam post suam fundationem, quamvis decursu temporis in plures dioeceses diffusa, usque tamen dum pontificiae approbationis aut laudis testimonio caruerit, vi canonis 492 § 2, remanet dioecesana Ordinariorum iurisdictioni, ad normam iuris, plane subiecta [3].

« Decreti laudis » vis iuridica et forma;

6. *Decretum laudis*. Est primus actus quo S. Sedes ad novae Congregationis opus manum ita admovet, ut desinat esse simpliciter dioecesana. Per hunc actum, Sacra Congregatio Religiosorum Sodalium negotii praeposita, praemissa narratione prooemiali fundationis novae Religionis eius tituli, finis, votorum, formae regiminis ac auctoritatis supremi Moderatoris, concludit : « SS^mus Dominus Noster *N*..., attentis litteris com « mendatitiis Antistitum, quorum in dioecesibus Instituti, de quo agitur « domus reperiuntur, Institutum ipsum, uti Congregationem religiosam « sub regimine Moderatoris Generalis..., praesentis Decreti tenore « amplissimis verbis laudat ac commendat; salva Ordinariorum iuris « dictione ad normam sacrorum canonum ».

condiciones.

7. Hoc decretum laudis conceditur si, post elapsum a prima fundatione congruum tempus, nova Congregatio satis diffusa fuerit et dederit fructus pietatis, observantiae religiosae et spiritualis emolumenti; de quibus constare debet per litteras testimoniales Antistitis vel Antistitum Ordinariorum, in cuius vel in quorum dioecesibus, seu territoriis, Congregatio habet domos vel domum.

Documenta S. Congregationi exhibenda.

8. Ad obtinendum decretum laudis exhiberi debent Sacrae Congregationi :

a) supplex libellus ad Summum Pontificem, subsignatus a supremo Moderatore et a suis Assistentibus seu Consiliariis [4];

S. Sedis constituta, non licet Ordinario loci, etiam experimenti causa, aliquot personas ab ea segregare quae, mutatis nomine et veste, aliis ministeriis se dedant.

[3] Cum religiosi congregationis dioecesanae Ordinario loci *ad normam iuris* plene subiciantur, dispensationes a canonibus Codicis qui religiosos spectant, a S. Sede, non a suo Ordinario, salva contraria Codicis dispositione, impetrare debent. Isti enim canones sunt leges universalis Ecclesiae, a quibus Ordinarii dispensare non possunt « nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede apostolica concedi solet » (c. 81).

[4] *Seu Consiliariis* additur textui anteriori.

b) litterae testimoniales Ordinariorum de quibus supra (cf. art. 7); quae litterae obsignatae et sub secreto mitti debent [5];

c) relatio a Moderatore supremo et a suis Assistentibus seu Consiliariis subscripta, ac ut authentica et veridica ab Episcopo domus principis Congregationis laudandae confirmata, qua exponatur, non modo ipsius Congregationis origo cum nomine fundatoris eiusque praecipuis qualitatibus, sed etiam eius status personalis, disciplinaris, materialis et oeconomicus, addita praeterea notitia de novitiatus institutione, de novitiorum et *postulantium* numero ac disciplina [6];

d) Constitutiones ab Episcopo recognitae et approbatae, lingua vel latina, vel italica, vel gallica conscriptae et typis impressae;

e) denique, si agatur de aliqua Congregatione tertiariorum in communi viventium, etiam testimonium Moderatoris generalis primi Ordinis, quo constet eam eidem primo Ordini fuisse aggregatam, iuxta canonem 492 § 1.

« Decreti approbationis » condiciones.

9. *Decretum approbationis.* Conceditur decretum approbatione novae Congregationi, si, post datum decretum laudis, per satis diuturni temporis experimentum probatur eius firma compago, constitutionum accommodatio et vigens observantia, regiminis recta ratio, religiosorum studium servandae disciplinae in vinculo caritatis ad intra, et zelus in adimplendis operibus suae Religionis propriis ad extra.

Quomodo de iis constet.

10. De praedictis conditionibus constet oportet tum ex relatione status Congregationis, quam iterum, prout supra in art. 8 *c*) describitur, supremus Moderator exhibere debet, cum supplicem libellum porrigit ad obtinendam approbationem; tum etiam ex commendationis litteris, iterum dandis, ut supra clausis, ab omnibus Ordinariis, in quorum territoriis aliqua novae Religionis domus sita est, tum demum ex constitutionum codice, iterum S. Congregationi exhibendo.

Eiusdem forma.

11. Per hoc alterum decretum, de quo sermo est: « Sanctissimus « Dnus Noster *N*..., attenta ubertate salutarium fructuum, quos tulit « Congregatio religiosa *N*..., attentisque..., eam approbat et confirmat « sub regimine Moderatoris Generalis; salva Ordinariorum iurisdictione « ad normam sacrorum canonum ».

Interdum conceditur, praetermisso decreto laudis.

12. Quamvis inter decretum laudis et decretum approbationis congrui temporis decursus, ut supra dictum est (cf. art. 9), plerumque exigatur, nonnumquam tamen, licet raro, decretum definitivae approbationis conceditur, quin huic decretum laudis praecurrerit. Quod quidem fit, si conditiones in favorem novae Religionis, cum primum se sistit coram Sacram Congregationem, ita sunt numeris omnibus absolutae, ut nulla videatur ratio ulterius differendi definitivam approbationem.

---

[5] Antea non exigebantur litterae *obsignatae et sub secreto.*

[6] Dum relatio antea ab oeconomo et secretario generali subsignanda erat, nunc ab Assistentibus id est praestandum. De pluribus nunc referendum est: addenda enim sunt quae originem instituti, nomen et dotes fundatoris spectant.

Caput II

De Congregationibus caute tantum, aut nullo modo laudandis et approbandis

Difficile approbantur : finis universalior ;

13. Nullae fere, ni forte in missionum regionibus, laudandae approbandaeve erunt Congregationes, quae certo proprioque fine non praestituto, quaevis universae pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectuntur.

absentia redituum certorum ;

14. Cautissime procedendum est in approbandis novis Congregationibus, quae non vivunt nisi ex eleemosynis atque stipe ostiatim collecta. Approbatis inculcanda est fidelis observantia canonum 622, 623 et 624.

cura infirmorum utriusque sexus vel etiam nocturna in privatis domibus ;

15. Nec facile approbandae sunt, praecipue cum votis perpetuis, novae Sororum religiosae Congregationes, quae sibi proponunt finem in privatorum domiciliis infirmos utriusque sexus diurna atque nocturna cura iuvandi, vel domesticum servitium quotidianum in familiis pauperum et operariorum exercendi. Si vero approbatio aliquando et ob iustas causas concedenda videatur, in constitutionibus prudenter praescribantur conditiones et cautelae, quibus Sorores a periculis liberentur.

quaedam opera praestanda viris a Sororibus ;

16. Item non facile conceditur approbatio Sororum Sodalitiis, quae sibi constituant scopum specialem [7] :

a) instituendi in suis domibus valetudinaria aut diversoria pro personis utriusque sexus ;

b) instituendi hospitia pro sacerdotibus suscipiendis ;

c) docendi in scholis adulescentulorum, aut in iis, quae mixtae dicuntur, in quibus scilicet pueri et puellae simul congregantur.

cura puerorum in domibus « maternitatis ».

17. Multo minus approbantur Congregationes quae sibi assumendum proponerent curam immediatam puerulorum in cunis vagientium, vel mulierum parturientium in domibus, vulgo dictis *Maternitatis*, vel alia huiusmodi caritatis opera, quae virgines, Deo dicatas et habitu religioso indutas, dedecere videantur.

Excluditur subiectio sororum erga religionem virorum.

18. Demum animadvertendum est, nullam virorum Religionem, ad normam can. 500 § 3, sine speciali privilegio, posse sibi subditas habere religiosas Congregationes mulierum, aut earum curam et directionem retinere sibi specialiter commendatam.

Caput III

De approbatione constitutionum

Forma libelli supplicis pro approbatione constitutionum

19. Pro obtinenda constitutionum approbatione supplex libellus, subsignatus a Moderatore supremo cum suis Assistentibus seu Consiliariis, Sacrae Congregationi Religiosorum Sodalium negotiis praepositae porrigendus est, una cum constitutionum codice, relatione et commendationis litteris, prout supra, in art. 8 *b*), *c*), *d*) et 10.

[7] Iam omittuntur verba : « assumendi gestionem in seminariis clericorum vel in aliis quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus, vel in collegiis alumnorum masculini sexus ». In non paucis enim seminariis vel collegiis, etiam pontificiis, sororibus committitur cura culinae, vestium, etc.

20. In approbandis vero constitutionibus Sacra Congregatio per hos fere gradus procedit :

Gradus ordinarii approbationis.

a) *Dilatio cum animadversionibus*. Nimirum si, instituto examine, constat multis correctionibus constitutiones indigere, differtur ad opportunius tempus petita approbatio, atque interim communicantur animadversiones, quibus ea indicantur, quae praecipue in exhibitis constitutionibus corrigenda, reformanda, addenda vel demenda sint.

b) *Approbatio ad experimentum*. Si exhibitae constitutiones tempore et usu non satis comprobatae videantur, et ceteroquin nec plurimis nec gravibus animadversionibus obnoxiae sint, fit ex officio prima correctio in textu ; et datur decretum quo SS^mus constitutiones, prout in correcto exemplari continentur, ad certum tempus, ex. gr. ad septennium, per modum experimenti, approbat atque confirmat [8].

c) *Approbatio definitiva*. Cum denique sufficiens praecesserit experimentum, constitutionum codex, in paucis iam emendandus, absolute corrigitur, et datur decretum quo SS^mus constitutiones definitive approbat atque confirmat.

Compositio approbationis religionis et constitutionum.

21. Quae vero de approbatione constitutionum disiuncte hucusque descripta sunt, coniunctim saepissime cum approbatione Congregationis hac ratione procedunt :

a) cum decreto laudis Congregationis dantur interdum opportunae animadversiones in folio super constitutionibus, termino praestituto, intra quem constitutiones ipsae emendatae Sacrae Congregationi iterum exhibendae sunt ; quae tamen, si multis indigeant emendationibus, communicantur Congregationi, antequam concedatur decretum laudis ; ita ut, in utroque casu, omne ius constitutiones propria auctoritate immutandi, vel emendandi, ademptum censeatur, post obtentum decretum laudis ;

b) regulariter approbatio Congregationis conceditur, una cum decreto, quo constitutiones in textu emendatae approbantur, saltem experimenti gratia ad certum tempus.

Caput IV

De excludendis a textu constitutionum

Excludenda a textu constitutionum inutilia, periculosa, minutissima, falsa.

22. Excludenda sunt a textu constitutionum :

a) praefationes, introductiones, prooemia, notitiae historicae, litterae hortatoriae vel laudatoriae, exceptis decretis laudis et approbationis a Sancta Sede concessis ;

b) citationes textuum Sacrae Scripturae, Conciliorum, sanctorum Patrum, theologorum et quorumvis librorum vel auctorum ;

c) citationes dispositionum, sive peculiaris directorii, sive privati caeremonialis aut manualis, sive cuiuscumque codicis consuetudinum vel usuum Congregationis, ne forte praefati libri aut codices approbati videantur ; quamquam huiusmodi libros ad Sacram Congregationem mittere *oportet*, ut de eis opportune cognoscere possit [9] ;

---

[8] Olim approbatio per modum experimenti ad triennium vel quinquennium concedebatur.

[9] *Oportet :* loco verbi *expedit*. Haec vox : oportet, satis strictam decentiam, non strictam necessitatem significat.

d) quaevis mentio de legibus civilibus, de ordinationibus magistratuum civilium, de approbatione gubernii et similibus ;

e) omnia ea quae respiciunt munera et officia Episcoporum et confessariorum : cum pro his non scribantur constitutiones, sed pro religiosis ;

f) ordo studiorum et normae vivendi pro alumnis ac minute descripta horaria actuum diei pro domibus et operibus Congregationis ;

g) quaestiones theologiae dogmaticae vel moralis, decisiones doctrinarum controversarum, praesertim in materia votorum ;

h) termini iuris canonici qui Congregationibus religiosis applicari non possunt ; verbi gratia, *Regula, Ordo, Monasterium, Moniales*, etc. ; quorum loco respective dicendum est : *Constitutiones, Congregatio religiosa*, seu *Religio votorum simplicium, Domus, Sorores*, etc.

i) licet brevia spiritualis et religiosae vitae documenta sint opportuna, excludendae tamen sunt *prolixiores* instructiones asceticae, exhortationes spirituales ex professo, et mysticae considerationes, quae omnia aptius pertractantur in libris asceticis : cum constitutiones continere debeant tantum leges constitutivas Congregationis et directivas actuum communitatis, sive quod ad gubernium attinet, sive quod ad disciplinam et normam vitae ;

k) minutissimae quaelibet praescriptiones circa secundaria et infima officia, quae respiciunt culinam, valetudinarium, vestimentorum curam, etc. : cum istae gravitatem textus constitutionum a Sancta Sede Apostolica approbandarum, minime deceant ;

l) dispositiones denique cuiusvis generis, quae, sive explicite sive implicite, aliquid contra ius contineant.

Caput V

Generalia in constitutionibus requisita

Quaenam Constitutiones continere

23. Constitutionum codex continere debet ea quae respiciunt notiones et dispositiones :

a) de religiosae Congregationis natura, votis, membris et modo vivendi ;

b) de Congregationis gubernio, administratione et officiis.

et quomodo distribui debeant.

24. Haec vero omnia distribui possunt in duas, tres vel quatuor partes, sed summopere commendatur brevitas, claritas et optimus ordo.

25. Constitutiones dividantur in partes, partes in capita, capita in articulos seu paragraphos ; hisce praeponantur numeri ab initio ad finem progredientes [10].

---

[10] Omissus est art. 37 priorum *Normarum* « Si Institutum unam ex approbatis ab Ecclesia regulis observare velit, haec Constitutionibus praemittatur, ita tamen ut versio sit fidelis ». Non ideo prohibentur huiusmodi Regulam Constitutionibus praeponere. In veteri art. 38, iubebantur inserere decreta S. Sedis, in Appendice indicata. Infra dicemus quid ex ista omissione concludendum sit.

Caput VI

Specialia de titulo

Quid in titulo ponendum

26. Titulus seu nomen Congregationis religiosae desumi potest vel a Dei attributis, vel a Sanctae nostrae Religionis mysteriis, vel a festis Domini et Beatissimae Virginis Mariae, vel a Sanctis, vel a fine speciali ipsius Congregationis.

vitandum.

27. Ne nomen seu titulum Religionis iam constitutae usurpent novae Congregationes, iam cautum est in canone 492 § 3. Ut igitur huic dispositioni satisfiat, debent novae religiosae Congregationes aliquid saltem titulo iam approbatarum addere, quo distinctio inter singulas satis appareat.

28. Cavendum insuper, ne tituli religiosarum Congregationum vel nimis artificiose compositi sint, vel quampiam devotionis speciem, a Sancta Sede Apostolica non probatam, exprimant aut innuant.

DECRETUM 6 MART. 1921

Sanctissimus Dnus Noster Benedictus divina Providentia Pp. XV, in audientia concessa die 6 martii 1921 R. P. D. Secretario Sacrae Congregationis de Religiosis, audito suffragio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Patrum Cardinalium eidem Sacrae Congregationi praepositorum, suprascriptas Normas, ab eadem Sacra Congregatione servandas, approbavit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die 6 martii 1921.

Th. Card. Valfré di Bonzo, *Praefectus.*
Maurus M. Serafini, Ab. O. S. B. Secretarius.

Annotationes

Die 28 iun. 1891, S. Congregatio *EE. et RR.* documentum edidit quod inscribebatur : *Normae secundum quas S. C. Epp. et Reg. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium.* Dividebatur in duas sectiones et 325 articulos numeris continuis distinctos. In prima sectione, agebatur de diversis gradibus approbationis concedendae, *antequam* ad constitutiones approbandas perveniretur (§ I, aa. 1-7) ; de praecipuis dotibus requisitis et de impedimentis magis consuetis relate ad approbationem (§ II, aa. 8-17). Dein veniebant ea quae ipsas constitutiones constituendas et approbandas spectabant, sc. de approbatione constitutionum (§ III, aa. 18-25) ; de rebus excludendis a textu constitutionum (§ IV, aa. 26-34) ; de generalibus in constitutionibus requisitis (§ V, aa. 35-38). In ultima paragrapho, consilia vel praecepta de titulo instituti proponebantur (§ VI, aa. 39-41).

In sectione altera dabatur : « *Schema constitutionum* », quo adiuti Superiores novarum religionum S. Congregationi textum facilius recognoscendum et probabilius approbandum

subicerent ; quae sectio in duas partes, triginta capita et 280 articulos dividebatur. Tandem in Appendice, tituli eorum decretorum indicabantur quae ad calcem constitutionum inserenda et in publica mensa legenda erant. Erant autem, pro *omnibus* institutis, decr. *Quemadmodum* (17 dec. 1890), *Singulari* (27 mart. 1896), *Auctis admodum* (4 nov. 1894), pro institutis clericalibus, decr. *Romani Pontificis* (25 ian. 1848).

Promulgato Codice, novae *Normae* conficiendae erant ; in pluribus enim Codicis canonibus aliae ac Normarum praescriptiones sunt. Atque iam schema novarum Normarum erat confectum. Sed Codicis liber II, p. III, *de Religiosis*, alteram sectionem Normarum fecit inutilem, ut asseritur in decreto S. C. *de Religiosis*, 6 mart. 1921, quod commentamur. Inde quoque iam omnino certum est, si cui istud erat adhuc dubium, congregationes iuris dioecesani praescriptionibus Codicis omnibus regi nisi contrarium in canonibus dicatur.

In hoc decreto, proponitur textus primae sectionis anteriorum *Normarum*, paucis mutationibus insertis, et remittuntur conditores constitutionum ad canones Codicis et ad probatos commentatores *Normarum* Nobis afferendi videntur R. D. Battandier [1], Dom Bastien, O. S. B. [2], Vermeersch, S. I. [3].

Novae *Normae*, uti veteres, inter ea quae approbationem difficiliorem faciunt, quaedam ministeria indicant indoli aut sexui religiosorum minus consentanea. Etsi haec ministeria tamquam finis novae religionis proponi non possunt vel difficilius approbantur, non prohibentur Episcopi, pro locorum vel temporum necessitatibus, prudenti consilio permittere ut religiosi vel Sorores illis vacent.

In novis *Normis* nulla iam decreta Apostolicae Sedis inseri in constitutiones vel ad mensam legi praescribuntur ; itaque confirmatur sententia quam proposuimus, decreta *Quemadmodum*, *Quam singulari*, *Cum de sacramentalibus*, etc. iam non esse legenda [4]. Ceterum scimus haec decreta, si quando constitutionibus addantur, quae approbationi S. Sedis subiciuntur, e textu deleri.

I. Creusen, s. i.

---

[1] *Guide canonique pour les constitutions des instituts à vœux simples*, 4e éd Paris, 1908.

[2] *Directoire canonique à l'usage des congrégations à vœux simples*, 2e éd. Maredsous, 1911.

[3] *De religiosis*, t. II, 4a ed., *Supplementum decimum*, p. (128) et ss.

[4] *Religieux et religieuses*, 2 ed. n. 43, 2. Cf. *N. R. Th.* 1921, p. 312.

142. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM 9 DEC. 1920

De definiendis limitibus paroeciarum in dioecesibus S. Congr. de Prop. Fide subiectis

(A. A. S., 3 ian. 1921, 13, 17.)

Dubia.

Ordinarii quarundam regionum, quae hierarchica constitutione quidem gaudent, at Sacro huic Consilio Christiano Nomini Propagando subiciuntur, cum aliquid inchoatum adhuc praeseferant, dubia nonnulla circa statum iuridicum missionum sibi commissarum proposuerunt.

Responsa.

Itaque ad ea dubia removenda et tutam agendi normam generalem praebendam, Sacra Congregatio haec statuenda censuit :

Partes dioecesis indivisae.

1° Cum dioeceses huic Sacro Consilio subiectae tamquam missiones haberi debeant, permitti potest ut in eisdem aliqua pars territorii indivisa maneat, idest sine designatione limitum paroecialium.

Paroecia, ad normam quasi-paroeciae.

2° Quae vero territorii partes limitatae iam sunt vel limitari in posterum contingat ad normam can. 216, eae nomine paroeciae veniunt ; at eisdem applicantur ea quoque quae de quasi-paroeciis peculiariter statuta sunt.

Parochi regulares.

3° Facultas specialis autem Episcopis missionum fit nominandi regulares ad paroecias cum idonei ad talia beneficia sacerdotes e clero saeculari omnino deficiant.

Provisio pro Indiis orient.

4° Episcopis Indiarum Orientalium vero liceat in proximo conventu Madraspatano, collatis consiliis cum R^mo^ Delegato Apostolico, determinare, quaenam territorii partes propriae cuiusque dioecesis haberi debeant ut iam sufficienter divisae ad normam can. 216, adhibita in posterum, pro novis paroeciis erigendis, forma in instructione huius S. Congregationis de Propaganda Fide, diei 25 iulii 1920, praescripta (cfr. *Acta Apost. Sedis*, an. XII, n. VIII, pag. 331).

Quae omnia SS. Dominus Noster Benedictus Div. Prov. PP. XV, in audientia diei 2 decembris infrascripto S. C. Cardinali Praefecto impertita, confirmare atque rata habere dignatus est.

Dies (9 dec. 1920).

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 9 decembris anno 1920.

G. M. Card. VAN ROSSUM, *Praefectus.*
C. Laurenti, Secretarius.

ANNOTATIONES

I. Perspicitur praesens decretum huc spectare ut in regionibus S. C. Propagandae Fidei subectis, optatam, immo praescriptam Codice, c. 216, divisionem dioecesis in paroecias prudenter ordinet. Inde dubia minime spernenda dilucide solvit, ac sapienter temperat, in regionibus missionum, quasdam iuris communis sanctiones. Itaque :

II. Primo decreti numero, traducitur ad *dioeceses* missionum

quod decreto 25 iul. 1920, n. 3 [1] statutum erat de vicariatibus, non esse necesse ut totum territorium dividatur, sed, si id opportunum videatur, divisiones in paroecias ad partem territorii restringi posse.

Quod, pro delegatione ad matrimonium celebrandum attendendum est, sicut diximus in *Per.* IX, p. 203.

III. Facta huiusmodi divisione, partes divisae sunt verae paroeciae, quibus ergo, per se, v. g. quod ad missam pro populo, etc. regulae paroeciarum applicandae forent. Verum, attenta regionis condicione, quae est missionum, S. C. sapienter respondit licere ut simul speciales regulae quasi-paroeciarum ibi vigeant. Itaque, ex c. 454, § 4 omnes quidem sunt amovibiles, sed magis restricta est eorum obligatio dicendi missam pro populo.

IV. Paroeciae (nisi sint regulares vel agatur de Canonicis Praemonstratensibus) committi nequeunt Regularibus sine beneplacito Apostolico. Cf. C. *Romanos Pontifices*, 8 mai 1881, n. 16 (*De religiosis institutis* etc. t. 2, n. 277, p. 587). Verum in istis regionibus, clerus saecularis plerumque desideratur.

Quare S. C. generalem facultatem nominandi etiam parochos regulares, deficiente idoneo saeculari, quam ipsa, ante Codicem per formulas suas dederat episcopis Foederatorum Statuum Americae septemtrionalis (cf. antiquam Form. I, art. XXII) tribuit quoque, eadem condicione, episcopis missionum.

Adhibita vox *Regulares* solos afficit religiosos ordinum votorum sollemnium.

Ac per se religiosi congregationum votorum simplicium, nulla dispositione iuris communis a munere parochi arcentur. Nequit enim inter officia vel beneficia quae cum statu religioso componi non possunt (c. 626, § 1) poni munus quod non in uno codicis loco religiosis commissum supponitur. Cf. v. g. c. 454, § 5 et c. 630. Quare, sub hoc respectu, non erat necesse facultatem dare nominandi religiosos votorum simplicium.

Maior quidem difficultas oriri potest ex qualitate beneficii quam nunc, ex c. 1409 et 1410, omnis paroecia habere videtur, cum sola iura stolae iam dotem beneficii constituere queant. Sane, ante Codicem, Aichner, *Compendium iuris ecclesiastici* [7], p. 485, scribebat alumnos Congregationum religiosarum a nullo beneficio saeculari, vi iuris communis arceri. Censebantur enim de corpore *cleri saecularis*. Cf. Bizzarri, *Collectanea S. C. Ep. et Reg.* ubi ipsi exempti sodales S. Congregationis SS. Redemptoris, in causa 6 sept.

[1] Cf. *Per.* X, n. 1611, p. 201.

1864 vocantur *presbyteri saeculares*. Ipse Codex c. 964, 4° statuit ordinationem alumnorum Congregationis non exemptae per se regi iure saecularium. Clara igitur lex quae eosdem arceat a paroeciis sacularibus, nulla reperitur. Mens tamen Codicis potius diversa videtur. Tam in cc. 456 et 457 quam in c. 1442 clerum saecularem opponit religiosis, vultque c. 1442 ut beneficia saecularia solis clericis e clero saeculari conferantur. Paroecias autem in quas dioecesis dividitur esse per se saeculares, non est ambigendum. Praeterea, iam anno 1915, 5 iul. S. C. *Consistorialis* supponebat etiam sodalibus Congregationum religiosarum necessariam esse facultatem Apostolicam ut paroecias saeculares consequerentur, cum definierit facultatem istam « spectare ad S. C. *Concilii*, firma tamen obligatione pro Ordinibus et Congregationibus religiosis obtinendi a S. C. *de Religiosis* necessariam facultatem vel dispensationem, si ipsorum constitutiones et regulae iis prohibeant paroecias retinere et regere ». (Cf. *Per.* t. VIII, p. 153.)

Verum, quantum opus sit, indultum de Regularibus valet, in hac specie causae, potiore ratione de Religiosis, ita ut nulla practice difficultas, ex adhibita voce *Regulares* oriri queat.

V. Cum in divisione peragenda et in erigenda paroecia, formale decretum requiratur Ordinarii quo territorii limites clare describantur, de divisionibus ante factis dubitari potest fuerintne annon efficaces ad erigendam paroeciam. Ideo, n. 4 permittitur ut in proximo conventu Madraspatano episcopi Indiarum Orientalium, collatis consiliis cum Rev.mo Delegato Apostolico, determinare possint quaenam partes propriae cuiusque dioecesis haberi debeant ut sufficienter divisae, ad normam c. 216.

---

143. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

ACTA SUMMATIM RELATA

Praeses Unionis pro Missionibus in Germania; in Bavaria in Hibernia

1. Praesides *Piae Unionis Cleri pro Missionibus* nominantur decreto 3 dec. 1920, R. D. Carol. Ios. Schulte, archiep. Colonien., pro tota *Germania*, una regione Bavarica dempta (A. A. S., 10 feb. 1921, 13, 102); decreto altero 3 dec. 1920, R. D. Mich. de Faulhaber, archiep. Monacen. et Frisingen., pro *Bavaria* (A. A. S., 10 feb. 1921, 13, 103); decreto 18 ian. 1921, R. D. Thom. O'Doherty, episc. Clonferten. pro *Hibernia*. (A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 147).

Denominatio missionum in Madagascar,

2. Decreto 10 ian. 1921, *denominatio nonnullarum Missionum* immutatur nempe :

Vicariatus apostolicus hucusque dictus de *Betafo* in insula Madagascar, in posterum denominabitur de *Antsirabé ;*

Sahara, Angola,

Praefectura de *Ghardaia* posthac denominanda de *Ghardaia in Sahara*, Praefectura apostolica de *Cimbebasia Superiori* denominanda de *Cubango in Angola ;*

Africa merid.-occid.

Praefectura denique *Cimbebasiae Inferioris* simpliciter denominanda de *Cimbebasia*. (A. A. S., 11, 1921, 13, 146).

Delegatio Apostolica Iaponiae.

3. Decreto 3 mart. 1921, *munera Delegati Apostolici in Iaponia* extenduntur ad Vicariatus Apostolicos insularum Carolinen., Marianen. et Marshall qui hucusque a Delegatione Apostolica Australasiae dependebant. Regiones enim illae nunc sub ditione imperii Iaponensis manent. (A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 148).

Consilium Propagationis Fidei pro Italia.

4. Decreto 1 mart. 1921 erigitur Romae pro omnibus Italiae dioecesibus, *centrale consilium* pii operis Propagationis Fidei a quo in posterum pendebunt omnes dioecesani praesides, firma tamen auctoritate Ordinariorum. (A. A. S., 4 apr. 1921, 13, 202).

I. I., s. I.

---

144. — S. CONGR. RITUUM

Additamenta in Breviario et Martyrologio

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 149.)

URBIS ET ORBIS

Die 18 iunii

S. EPHRAEM SYRI, DICONI, CONF. ET ECCLESIAE DOCTORIS

Vide supra, n. **114** et cf. *Annotationem*, p. 242.

---

145. — S. CONGR. RITUUM

INSTRUCTIO (ROMANA) 12 IAN. 1921

Pro sacerdote caecutiente circa missarum celebrationem eidem ex indulto apostolico concessam

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 154.)

1. — PRAENOTANDA.

Indultum a caecutiente obtineri potest

1. Sacerdos caecutiens seu tali visivae potentiae debilitate, sive accidentaliter sive habitualiter, laborans, ut legere possit non nisi typos valde crassos, a Summo Pontifice seu Sacra Rituum Congregatione, nisi Episcopus Apostolica facultate fuerit munitus, dispensationem obtinere potest celebrandi, iuxta normas inferius accuratius exponendas, aut Missam votivam de beata Maria Virgine aut Missam, quam vocant, quotidianam Defunctorum.

2. Conditiones vero in huiusmodi privilegii instrumento appositae, non sunt merae ritualitatis et styli, sed obligatoriae in conscientia. *additis clausulis obligatoriis;*

3. Si in privilegio dicatur : *Dummodo Orator non sit omnino caecus* et interea plane caecus evadat, tunc a celebrando Missam abstinere debet, donec novum indultum impetraverit; eoque obtento, sub gravi tenetur assistentia uti alterius sacerdotis, quamvis forte haec obligatio in indulto non expresse fuerit apposita. *caecus indiget peculiari indulto et sacerdote assistente.*

2. — REGULAE CIRCA MISSAM VOTIVAM DE BEATA MARIA VIRGINE.

I. — *Quae Missa votiva de beata Maria Virgine sit dicenda.*

1. Caecutiens dispensatus dicat Missam inter votivas de beata Maria Virgine assignatas *quintam*, quovis anni tempore. *Quae missa de B. M. V. dicenda.*

2. Si vero tantae adhuc est potentiae visivae ut legere possit etiam alias quatuor Missas votivas de beata Maria Virgine in Missali caecutientium pro diversitate Temporum exstantes, facultas ei sit easdem celebrare iuxta temporum diversitatem.

II. — *Quando Missa votiva de beata Maria Virgine sit dicenda.*

1. Missa votiva de beata Maria Virgine dici *potest* quovis anni tempore; dici vero *debet* omnibus et singulis diebus, in quibus non permittantur Missae quotidianae Defunctorum iuxta Calendarium Ecclesiae in qua Sacerdos caecutiens celebrat; salvis tamen privilegiis ulterioribus circa Missas Defunctorum infra num. 3 expositis. *Quando haec dici possit et debeat.*

2. In triduo sacro Maioris Hebdomadae Sacerdos caecutiens omnino a celebrando abstinebit. *Quid triduo sacro,*

3. In Festo Nativitatis Domini tres dicere potest Missas. *in Nativitate Domini.*

III. — *Quo ritu sit celebranda.*

1. Si Missa votiva de beata Maria Virgine celebretur pro re gravi et publica simul causa, a Sacerdote caecutiente semper dicuntur unica *Oratio, Gloria in excelsis, Credo, Praefatio* in tono solemni, *Ite Missa est*, et ultimum Evangelium S. Ioannis *In principio*, etsi a Sacerdotibus non privilegiatis facienda esset illa die commemoratio, vel dicenda Collecta ab Ordinario imperata, vel dicendum in fine Evangelium Officii commemorati, iuxta Rubricas. *Quo ritu dicenda.*

2. In omnibus aliis casibus :

a) dicitur *Gloria in excelsis :*

I. — Quandocumque dicendum est in Missa diei currentis, iuxta Calendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

II. — In iubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis;

III. — Infra Octavas, etiam simplices, beatae Mariae Virginis, iuxta Calendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

IV. — In sabbato.

b) Orationes quod attinet, haec observanda sunt :

I. — Secunda et tertia Oratio non adduntur, quandocumque Orationes de Tempore excluduntur a ritu Missae diei currentis, iuxta Calendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur;

II. — Secus tres dicantur Orationes, et quidem secunda de Spiritu Sancto, tertia contra persecutores Ecclesiae vel pro Papa.

c) *Credo* dicitur .

I. — Quandocumque dicendum est in Missa diei occurentis, iuxta Calendarium Ecclesiae in qua Missa celebratur ;

II. — In iubilaeo propriae ordinationis sacerdotalis.

d) In Praefatione dicitur *et te in veneratione*, praeterquam in Festis et per Octavas, etiam simplices, beatae Mariae Virg., in quibus Praefatio dicitur perinde ac si Missa de Festo vel de Octava celebraretur.

e) Ultimum Evangelium semper est S. Ioannis *In principio.*

f) In Oratoriis privatis, Calendarium proprium Celebrantis tenet locum Calendarii Ecclesiae in qua Missa celebratur ; idque etiam circa Missam Defunctorum servabitur.

3. — RUBRICAE CIRCA MISSAM DEFUNCTORUM.

Missa defunctorum quae et quando dici possit.

1. Loco Missae votivae de beata Maria Virgine Sacerdos caecutiens celebrare potest Missam quotidianam Defunctorum, cum vel sine cantu ad normam Rubricarum de Missis Defunctorum, iuxta Calendarium Ecclesiae in qua celebrat.

Quid in Comm. omnium Defunctorum.

2. Hanc Missam celebrat etiam (et quidem ter si placuerit) in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in qua tamen unam tantum Orationem dicet, nempe *Fidelium ;* servata (si bis vel ter hac die celebret) Constitutione Benedicti Papae XV *Incruentum Altaris sacrificium*, cuius vigore unam tantummodo Missam cuicumque maluerit applicare et pro ea stipem percipere valeat : alias vero Missas, nulla stipe percepta, pro omnibus fidelibus defunctis et ad mentem Summi Pontificis, prout ceteri Sacerdotes, applicet.

Quo ritu.

3. Unica Oratio in hac Missa dicitur, quandocumque haec Missa quotidiana locum teneat Missae in qua unica tantum Oratio. iuxta Rubricas, dici debeat. Secus tres saltem Orationes dicantur : prima tamen et secunda Oratio variari poterunt, iuxta peculiarem intentionem et applicationem Missae.

4. Ad Sequentiam *Dies irae* Sacerdos caecutiens numquam tenetur. Attamen si Missam cantet, licet ipse Sequentiam non legat, Chorus eam cantare non omittat.

ROMANA

Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV suprascriptam Instructionem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum a Sacerdotibus caecutientibus, qui Apostolicum Indultum in casu obtinuerint, ab infrascripto Cardinali sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatam, approbavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (12 ian. 1921).

Die 12 ianuarii 1921.

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIONES

In prima parte huius Instructionis, dantur seu potius in memoriam revocantur normae de usu privilegii. Et notemus

privilegum non semper ab eadem Congregatione fuisse concessum. Ex decreto enim 2560 *Oriolen.* 16 mart. 1805 ad 3 indultum obtinendum erat a S. C. Concilii; cum autem die 29 iun. 1908, Pius X Constitutione sua *Sapienti consilio* romanam curiam reformavit, hanc provinciam commisit congregationi de disciplina sacramentorum [1]; nunc vero indultum obtinendum dicitur a summo Pontifice seu Sacra Rituum Congregatione, itaque concordat cum canone 251 § 2. Sunt tamen Episcopi qui facultate apostolica gaudent dispensationem concedendi suis sacerdotibus; et in Indice facultatum quas, pro locis missionis suae, Nuntiis, Internuntiis et Delegatis Apostolicis penes Civitates seu Nationes post Codicis Iuris canonici publicationem tribuere Ss^mus Dominus noster decrevit, ceteris abrogatis, haec habetur sub n. 41 [2]: « Concedendi presbyteris, ex utroque clero, visivae potentiae debilitate laborantibus, vel alia infirmitate detentis, facultatem celebrandi Missam votivam Deiparae Virginis, aut defunctorum, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacerdotis assistentia, item eandem facultatem concedendi sacerdotibus onmino caecis, praescripta semper assistentia alterius sacerdotis, aut diaconi, et dummodo, facto experimento, comperiantur in nullo deficere. »

Condiciones in his privilegiis appositas esse vere obligatorias in conscientia, iam responsum fuit decreto 2560 ad 5; eandem obligationem iterum inculcat praesens instructio. Porro, hoc imprimis intellegendum est de clausula quae forsan sacerdoti non omnimode caeco assistentiam imponit alterius sacerdotis.

Quod ad sacerdotem qui ad omnimodam caecitatem pervenerit, in eodem decreto 2560 ad 3 responderat Congregatio ipsum nullo modo in celebratione missae pergere posse absque novo indulto. Censent enim nonnulli talem sacerdotem esse irregularem ex defectu, ac proin ipsum prius dispensatione egere. Cum autem in canone 984, caecitas non enumeretur tamquam causa irregularitatis, nec dici possit omnem caecum ita esse corpore vitiatum qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeat, haec irregularitas caeci possit in dubium revocari. Nihilominus tamen, vix poterit caecus absque indulto celebrare, cum vix queat decenti modo varias anni missas memoriter recitare, et certe mens Ecclesiae esse videtur ut caecus non nisi ex indulto celebret, et adhuc minus dubium est Ecclesiam omnino prohibere quominus

[1] ORDO SERVANDUS IN ROMANA CURIA. *Pars altera Normae peculiares* Cap. VII, art. 11, n. 10, g. PERIODICA t. IV, n. 298, p. 302.

[2] Cf. MONITORE ECCLESIASTICO maii 1920 p. 137 et NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE t. LXVIII (1921) p. 38 et 96.

caecus celebret absque sacerdote assistente qui ipsum iuvare debeat si memoria deficiat et praecipue invigilare ne sacrae species extra corporale dilabantur. Ex facultatibus quae Nuntiis concessae sunt, colligimus sacerdotem assistentem a diacono suppleri posse.

Servandi ritus. In reliqua Instructione exponuntur rubricae servandae a caecutiente qui indultum obtinuerit. Et primo quidem indultario conceditur facultas celebrandi missam votivam de beata Maria Virgine. Ut autem aliam missam dicere valeat, speciali indiget indulto. Certis tamen diebus missae de beata sufficere poterit missam pro defunctis; nec, per se videtur obligatio indulto utendi, ita ut si indultarius commode et decenter id facere potest, ipsi liceat celebrare missam officio conformem et diebus quibus rubricae permittant, missam votivam quamcumque celebrare. Ad hoc tamen numquam tenetur, sed indulto suo uti potest caecutiens singulis anni diebus, etiam in festis sollemnioribus, solo excepto triduo sacro maioris hebdomadae. Explicite etiam memoratur facultas concessa decreto 26 iun. 1920 [1] ter celebrandi tam in die nativitatis quam in commemoratione omnium Fidelium defunctorum; tenetur tamen lege communi quae vult ut in Commemoratione Defunctorum unum tantum sacrum celebrari possit ad intentionem quam voluerit celebrans, recepto etiam stipendio; reliqua vero, absque stipe celebrentur pro omnibus Fidelibus defunctis et ad mentem summi Pontificis.

Ad determinandum autem quibus diebus caecutienti liceant missae de Requiem, attendendum est, sicut pro reliquis celebrantibus, ad calendarium ecclesiae vel oratorii publici in quo celebrat; si vero celebrat in oratorio privato, ad calendarium proprium ipsius celebrantis. Et eandem regulam quoque servabit caecutiens, quotiens ex sequentibus rubricis officium diei influxum in eius missam habet.

A. **Rubricae servandae in missa beatae Mariae Virginis.**

Rubricae a caecutiente in hac missa servandae partim antiquam servant disciplinam, partim vero prorsus sunt novae. Nihil enim innovatur quod ad missam a caecutiente adhibendam; potest, uti antea, toto anni tempore legere missam quae in novo missali inscribitur quinto loco, scilicet quae assignatur pro tempore a Pentecoste ad Adventum; potest tamen etiam, si sufficienter legere valet, aliam assumere iuxta temporum diversitatem.

Contra, si ritum quo haec missa iam celebranda est

[1] PERIODICA t. X, n. 107, p. 213.

inspicere velimus, multa ab antiqua disciplina recedentia inveniemus.

Antiquitus enim haec missa indolem missae votivae privatae semper servabat, ac proin celebrabatur semper cum tribus orationibus, cum *Gloria* in Sabbato tantum, cum *Credo* numquam. [1] Nunc iam ritus pro diversis circumstantiis potest esse diversus.

α) Si missam celebrare debet caecutiens votivam sollemnem pro re gravi et publica causa, huius votivae sollemnis ritum in omnibus servabit; dicet proin *Gloria* et *Credo*, at semper unicam tantum orationem. Si enim ab aliis commemorationes aut collecta imperata addi deberent, eas caecutiens omittet, unde semper in fine dicet evangelium S. Ioannis *In principio*.

β) Si vero caecutiens missam suam celebrat non votivam sollemnem pro re gravi, tunc quod ad multa attendere debebit ad ritum officii sive ecclesiae sive proprii prout in ecclesia aut in oratorio privato celebrat.

1. *Gloria* additur quandocumque dicendum est in missa diei currentis iuxta calendarium ut supra, idemque obtinet pro *Credo*.

2. Secunda et tertia oratio non adduntur, quandocumque orationes de tempore excluduntur a ritu missae diei currentis ut supra, seu quotiens officium diei est duplex aut in missa diei fit commemoratio duplicis, item in dominicis in quibus fit commemoratio alicuius octavae, in dominica palmarum et in vigilia Pentecostes [2].

3. Praefatio in festis et infra octavas, etiam simplices, B. Mariae Virg. iuxta calendarium ut supra, dicitur perinde ac si missa celebraretur de festo vel de octava; secus dicitur *Et te in veneratione*.

Ceterum de ipso officio numquam fit commemoratio; et, nisi excludantur orationes ut supra, adduntur orationes quae missae de B. Maria Virg. conveniunt, scilicet secunda de Spiritu Sancto, tertia contra persecutores Ecclesiae vel pro Papa. Collecta imperata numquam additur, et in fine semper dicitur ultimum evangelium S. Ioannis *In principio*.

Attamen non a solo ritu officii pendet ritus missae caecutientis. Etenim, secundum regulas generales [3], caecutiens addet etiam *Gloria* infra octavas, *etiam simplices*, B. Mariae Virg., iuxta calendarium ut supra et in sabbatis. Tandem, tam *Gloria* quam *Credo* addet in anniversario propriae ordinationis sacerdotalis.

---

1 Decr. 3146 *Nolana* 28 apr. 1866 ad 3.

2 ADDITIONES ET VARIATIONES IN RUBRICIS MISSALIS. Tit. VI, n. 1.

3 RUBRICAE GENERALES MISSALIS. Tit. VIII, n. 4. — ADDITIONES ET VARIATIONES IN RUBRICIS MISSALIS. Tit. VII, n. 1.

Hoc ultimum sat mirum videri potest, cum nihil simile concedatur reliquis sacerdotibus, eo magis quod fieri sic potest ut symbolum addatur in missa quae ceteroquin celebratur ritu simplici, quod tamen novis rubricis aperte repugnat : « neque [symbolum] additur in aliis missis ritus simplicis, etiamsi *Credo* alicui ex commemorationibus occurrentibus conveniret » [1]. Probabiliter hoc caecutienti concessum est in compensationem privilegii quo reliqui sacerdotes gaudent addendi in anniversario propriae ordinationis orationem *pro seipso sacerdote.*

B. **Rubricae servandae in missa de Requiem**

Extra commemorationem omnium Fidelium defunctorum, caecutiens vi rubricae numquam ad missam de *Requiem* obligatur. Potest autem illam celebrare iisdem diebus et sub iisdem condicionibus quibus hoc in illa ecclesia vel illo oratorio liceret ceteris sacerdotibus. Non solum ergo missam cotidianam de *Requiem* cum vel sine cantu celebrare poterit quando haec a rubricis permittitur, sed etiam privilegio a rubricis concesso uti poterit quo certis diebus unica missa de *Requiem* cantata vel lecta in singulis ecclesiis vel oratoriis publicis permittitur die III, VII, XXX et anniversaria ab obitu vel depositione, necnon opportuniori die libera post mortis nuntium [2]. Item, sub iisdem condicionibus ac ceteri poterit missam de *Requiem* celebrare pro defuncto in ecclesia die qua in hac ecclesia huius defuncti funus agitur, in sacelio vero semipublico vel privato unica die vel singulis diebus prout rubricae permittunt [3], tandem uti privilegio sacellis sepulcreti concesso [4].

Etiam in missis privilegiatis, et nullomodo exceptis tribus missis in commemoratione omnium Fidelium defunctorum, caecutiens dicere potest missam cotidianam, hanc tamen, si missam celebrat in die privilegiata dicet cum unica oratione, et quidem, quantum fieri potest, cum ipsa oratione quae in missa privilegiata dicenda foret. In commemoratione Fidelium defunctorum ter cum oratione *Fidelium*. Diebus non privilegiatis tres dicet orationes, quarum primam pro defunctis pro quibus missam applicat, secundam ad libitum, tertiam *Fidelium* [5].

Etiam in Missis quae cum unica oratione celebrantur, caecutiens ad sequentiam *Dies irae* non tenetur, si tamen missa est in cantu, sequentia a Choro cantari debet uti

---

[1] ADDITIONES. Tit. VII, n. 3.
[2] ADDITIONES ET VARIATIONES IN RUBRICIS MISSALIS. Tit. III, n. 6.
[3] IBID. n. 3.
[4] IBID. n. 8.
[5] IBID. Tit. IV. n. 10.

praescribitur a Rubricis [1]. In casu proin exceptio fit a regula quae vult ut quodcumque a Choro concinitur, a celebrante submissa voce legatur [2]. Ios. PAUWELS, S. I.

---

146. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM 14 IAN. 1921

Circa cantum « benedictus qui venit », etc., in missis cantatis

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 157.)

Dubium. Exorto dubio, et Sacrorum Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, proposito, circa interpretationem verborum *Gradualis Romani* tit. « de ritibus servandis in cantu Missae », n. VII, ubi legitur : « Finita « Praefatione, chorus prosequitur *Sanctus* », etc., quaeritur : « An haec « verba in Missis cum cantu sint interpretanda ut *Sanctus* canatur usque « ad *Benedictus* inclusive vel exclusive ? ».

Responsum. Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis respondendum censuit : « *Negative* ad primam partem, « *affirmative* ad secundam, iuxta *Caeremoniale Episcoporum*, lib. II, « cap. VIII, 70 et 71 et decreta n. 2682, *Marsorum*, 12 novembris 1831, « ad 31, n. 3827, decretum generale 22 maii 1894 et n. 4243 *Cephaluden.* « 16 decembris 1909 ad VI ». Insuper ad maiorem declarationem et explicationem statuit : quod in novis editionibus *Gradualis Romani*, titulo et numero praedictis nempe : « de ritibus servandis in cantu Mis- « sae », n. 88, ponatur : « Finita Praefatione chorus prosequitur *Sanctus*, « etc., usque ad *Benedictus qui venit*, etc., exclusive ; quo finito, et non « prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus et cum aliis adorat. « Elevato Sacramento, chorus prosequitur cantum *Benedictus* ». Haec autem Rubrica inviolabiliter observetur, quibuslibet contrariis non obstantibus, in omni Missa cantata tum vivorum, tum defunctorum, sive cantus gregorianus, sive cantus alterius cuiusvis generis adhibeatur.

Dies (14 ian. 1921). Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 14 ianuarii 1921.

A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIO

Sine ullo dubio *Benedictus qui venit* intime conectitur cum *Sanctus*, et sicut celebrans uno tractu utrumque recitat, sic etiam antiquitus uno tractu *concinebatur*. Cum autem paulatim

[1] IBID. n. 11.
[2] *Decr.* 4198 *Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae* 1 febr. 1907 ad 5.

cantus *Sanctus* magis ac magis fuerit protractum, mox impossibile fuit *Sanctus* usque ad finem canere ante elevationem, et, ex una parte cum nullomodo deceat ut sacerdos ante consecrationem cogatur exspectare finem cantus, et ex altera parte non minus dedeceat ut per consecrationem et elevationem cantores in cantu pergant et sic fideles in sua adoratione perturbent, mos introductus est ut post primam partem *Sanctus* in cantu pausetur usque ad consecrationem, dein, paracta consecratione, resumatur cantus ad *Benedictus*, quae verba ceteroquin omnino verificantur de Christo Domino tum in altaris mensa praesenti. Qui modus agendi canonizatus est in Caeremoniali Episcoporum lib. II, cap. VII, n. 70 et 71 : « Chorus prosequitur cantum usque ad *Benedictus, qui venit etc.*, exclusive; quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus, et cum aliis adorat.. Elevato Sacramento, chorus prosequitur cantum *Benedictus, qui venit etc.* » et eodem modo semper respondit S. R. C. Porro difficultas oriebatur ex eo quod in Graduali eadem rubrica non legeretur. Ad tollendum ergo dubium S. R. C. voluit nunc rubricam Gradualis adaptare Caeremoniali et mandat ut nova Rubrica inviolabiliter observetur, quibuslibet contrariis non obstantibus in omni missa cantata tum vivorum, tum defunctorum, sive cantus gregorianus, sive alius adhibeatur. Notari etiam potest, quod si ex ceremoniali per elevationem chorus silere debet et cum aliis adorare. « Organum, ex eodem Caeremoniali l. c., si habetur, cum omni tum melodia et gravitate pulsandum est. » Quod minus obligationem quam licentiam pulsandi significat.

Notemus denique clausula « quibuscumque contrariis non obstantibus » consuetudines particulares contrarias per se non abrogari. Ios. Pauwels, s. i.

147. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM (URBIS ET ORBIS) 23 FEBR. 1921

De addenda invocatione S. Ioseph laudi : « Dio sia benedetto »

(A. A. S,, 11 mart. 1921, 13, 158.)

Praeter ea quae anno superiore in honorem S. Ioseph statuta sunt,

Volvente anno iubilari quinquagesimo a promulgato Decreto pontificio quo, die 8 decembris anno 1870 Deiparae Virginis Mariae Sponsus, eiusque unigeniti Filii Salvatoris nostri nutritius, sanctus Ioseph, peculiaris catholicae Ecclesiae apud Deum patronus constitutus et declaratus fuit, beatissimus Pater Benedictus XV motu proprio : *Bonum sane et salutare* diei 25 iulii anni superioris praecepit et mandavit, ut, intra eundem annum quinquagesimum, in honorem sancti Patriarchae et in

memoriam promulgati Decreti, solemnis supplicatio fiat, tempore et modo ab Episcopo, seu Ordinario cuiusque loci, designandis : elargita quoque Indulgentia plenaria, quam Christifideles adstantes sub consuetis conditionibus lucrari valeant. Nunc vero idem Summus Pontifex, plurium Sacrorum Antistitum et Christifidelium votis ac precibus libentissime obsecundans, statuit ac decrevit, ut quod honori Beati Ioseph ex particulari indulto apostolico et probata consuetudine in aliquibus locis viget, ad universam Ecclesiam perpetuo extendatur, scilicet : ut piae Laudi : *Benedictus sit Deus*, etc., vulgo *Dio sia benedetto*, etc., pluribus indulgentiis ditatae, quae, iuxta monitum et exemplum Psalmistae et Ecclesiae : « Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus eius in ore meo » (*Psalm. 33*, 1), instituta est ad iniurias resarciendas et amovendas divino Nomini sanctisque caelitibus potissimum per blasphemias et turpiloquia inlatas, post laudem Nominis Mariae Virginis et Matris, vulgo *Benedetto il nome di Maria, Vergine e Madre*, addatur laus eius castissimi Sponsi et sanctae Familiae paterna vice praepositi, hisce verbis : « Benedictus sanctus Ioseph eius castissimus Sponsus », vulgo *Benedetto san Giuseppe suo castissimo Sponso*. Quod maxime confert tum ad complementum laudis et invocationis Sanctae Familiae Nazarenae, tum ad validum eiusdem praesidium in quolibet vitae discrimine, potissimum in extremo agone, impetrandum : servatis de cetero servandis.

in posterum addatur eius invocatio Laudi Benedictus Deus.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 februarii 1921.

Dies (23 feb. 1921).

A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *S. R. C. Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

ANNOTATIO

In posterum ergo, ad lucrandas indulgentias his piis laudibus concessas, omnino requiritur ut praedicta invocatio in honorem S. Ioseph suo loco addatur.

---

148. — S. CONGR. RITUUM

ACTA SUMMATIM RELATA

1. *Decreta introductionis causae beatificationis et canonizationis.*

Decretum introductionis causae conficitur a S. R. C. Secretario, postquam S. Pontifex « commissionem introductionis causae signavit » rogantibus Patribus S. R. C. — Hoc decreto S. Sedes causae ita manum apponit ut Ordinarii circa eam nihil iam sine expressa licentia agere possint.

Decreta introductionis causae.

1. Die 21 nov. 1920, signata est commissio pro serva Dei, *Maria a Iesu*, in saeculo Iosepha du Bourg, fundatrice congregationis sororum a Divino Salvatore et SSma M. Virgine nuncupatarum, dioec. *Tolosan.* — Nata est in oppido *Rochemontès*, prope Tolosam, d. 24 iun. 1788. — Primo in monasterium sororum Visitationis B. M. V. se recepit ex quo, tribus mensibus elapsis, quia vitae genus sibi consonum non videret, exiit. Postea Tolosae apud Moniales a B. M. V. nuncupatas experimentum egit

Maride a Iesu, du Bourg, 21 nov. 1920.

ad instituendas puellas. Tandem inter sorores a S. Alexio, a 1812 recepta, mense iulio 1815 vota nuncupavit. Dum in pago *Evaux* reficiendis corporis viribus e diutino morbo convalesceret, de nova Congregatione erigenda, probantibus viris prudentibus et sanctis, cogitavit. — Quod opus, a° 1833 incoeptum, ad felicem exitum perduxit cum Constitutiones a duobus episcopis aa. 1834 et 1849 approbatae sunt. Congregationi quae educandis puellis et curandis aegrotis et pauperibus vacat, sodalitium annexum est sororum quae ruri idem ministerium agunt (Sœurs des campagnes). Serva Dei piissime in Dno obdormivit die 25 sept. 1862. (A. A. S. 3 ian. 1921, 13, 19.)

Maria Eustella Harpain 12 ian. 1921.

2. Die 12 ian. 1921, signata est Commissio introductionis causae Servae Dei *Mariae Eustellae Harpain*, virginis saecularis, natae a. 1814 in civitate *Saintes* dioeceseos Repellensis in Gallia, tenui familia sed valde pia matre. A pueris lectitabat puella libros Novi Testamenti et de Imitatione Christi. Arti sarcinatrici et operi phrygio addicta eximia edidit exempla virtutum, pietatis imprimis erga SS. Sacramentum. E consilio confessarii institutum « des Dames blanches de la Rochelle » aliquando ingressa, brevi post ob infirmam valetudinem atque actuosae vitae genus ad vitam in saeculo contemplativam, solitariam et austeram rediit. E vivis excessit 29 iun. 1842. (A. A. S. 10 feb. 1921, 13, 108.)

Maria Aikenhead 20 mart. 1921.

3. Die 20 mart. 1921, signata est Commissio introductionis causae Servae Dei *Mariae Aikenhead*, fundatricis instituti Sororum a caritate in Hibernia. Corcagii *(Cork*, in Hibernia) 19 ian. 1787 ex patre anglicano, matre catholica nata, cura praesertim piae cuiusdam nutricis catholicae baptizata et educata, post conversionem et mortem patris, quibusdam sibi ascitis sociis, pauperibus sublevandis totam se dedit, moxque institutum fundavit « Sororum Hibernensium a caritate ». Quod et ipsa per annos amplius quadraginta magna prudentia, fortitudine et suavitate moderata est. Obiit die 22 iul. 1858. (A. A. S., 6 maii 1921, 13, 234.)

II. *Decreta beatificationis.*

Decreta beatificationis.

A. *Via ordinaria non cultus.*

Ven. Bellarmino, S. I., 22 dec. 1920.

1. Die 22 dec. 1920, decretum S. R. C. publici iuris factum quo declaratur « constare de virtutibus theologalibus... nec non de cardinalibus... ven. servi Dei *Rob. S. R. E. Card. Bellarmino...* » — In decreto referuntur difficultates, non ab hostibus Ecclesiae tantum, sed a viris quos praeiudicatae opiniones ipsi Societati Iesu infensos reddebant, motas quibus causa haec tantas moras passa est. S. Pontifici Benedicto XV cordi fuit ut ageretur denuo causa quam decessor eius Benedictus XIV adeo promoverat (A. A. S. 3 ian. 1921, 13, 23-27.)

Barthol. Maria dal Monte, 23 ian. 1921.

2. Die 23 ian. 1921 publici iuris factum est decretum quo declaratur constare de virtutibus heroicis S. D. *Bartholomaei Mariae dal Monte*, sacerdotis et institutoris in Italia pii operis missionum. Cui causae olim ipse S. P. adhuc archiepiscopus Bononiensis manum admoverat. (A. A. S., 10 feb. 1921, 13, 111.)

Josephus Cafasso, 27 feb. 1921.

3. Die 27 feb. 1921, item decretum de virtutibus heroicis Ven. S. D. *Josephi Cafasso*, sacerdotis saecularis, collegii ecclesiastici Taurinensis moderatoris, in eodemque lectoris theologiae moralis. In decreto memoratur quomodo, vestigiis praesertim inhaerens SS. Francisci Salesii et

Alfonsi de Ligorio, Jansenismum et rigorismum naviter impugnaverit. (A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 159.)

B. *Via extraordinaria casus excepti seu cultus.*

Dominicus Spadafora, O. P., 11 ian. 1921.

1. Die 11 ian. 1921, rescripsit S. R. C. confirmandam esse sententiam Ordinarii Teretrani super cultu ab immemorabili tempore praestito S. D. *Dominico Spadafora*, Sacerdoti professo Ordinis Praedicatorum, qui diem supremum obiit 21 dec. 1521. Vitam egerat tum operibus zeli, in loco praesertim *Montecerignone* Teretranae dioeceseos, tum eximiis religiosae vitae exemplis conspicuam. — Ex Apostolica dispensatione super decretis S. R. C. 11 nov. 1912 et 31 ian. 1913, atque super dispositionibus Codicis l. IV, tit. XXV, processus in casu ad tramitem veteris iuris institutus est. (A. A. S., 10 feb. 1921, 13, 104.)

Margarita a Lotharingia, 15 mart. 1921.

2. Die 15 mart. 1921, rescripsit S. R. C. confirmandam esse sententiam iudicis ab Ordinario Sagiensi delegati super cultu praestito Servae Dei *Margaritae a Lotharingia*, Alenconii ducissae, viduae et monialis Secundi Ordinis S. Francisci. Regali ex progenie a. 1463 orta, post obitum coniugis Renati Valesii, Alenconii ducis, per viginti amplius annos educandis filiis et ducatui regendo se dedit; libera tandem effecta, regulam S. Clarae amplexa est. Animam Deo reddidit 2 nov. 1521. (A. A. S., 6 maii 1921, 13, 231.)

IOHN IANSSENS, S. I.

---

149. — S. CONGR. DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

ACTA SUMMATIM RELATA

Erectio facultatum Varsavien.,

Decretis huius S. Congregationis canonice erectae sunt:

1. die 4 apr. 1920, Facultas catholica scientiarum ecclesiasticarum in Universitate Varsavien. (in Polonia), cum potestate conferendi triplicem lauream, Theologiae sc., Iuris canonici et Philosophiae (A. A. S. 18 iun. 1921, 13, 319);

Lublinen.,

2. die 25 iul. 1920, Universitas catholica Lublinen. (in Polonia), Facultates interim complectens Theologiae et Iuris canonici, statutis experimenti causa ad triennium approbatis (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 320);

Mediolanen.

3. die 25 dec. 1920, Universitas catholica a SS° Corde Iesu Mediolanen., modo duabus constans Facultatibus, philosophica scil. et iuridica (A. A. S., 18 iun. 1921, 13, 321).

---

150. — S. CONGR. PRO ECCLESIA ORIENTALI

MONITUM SUMMATIM RELATUM

De monacho fugitivo stipem quaeritante.

Die 2 maii 1921 monet S. Congr., Rev. Cypr. Chéhab, monachum graeci-melchitici ritus, Ordinis S. Basilii Magni, Congregationis toaritae, qui, dictitans se episcopum esse, diversas Galliae urbes ad eleemosynas colligendas peragratur, monasterium suum absque licentia reliquisse, suspensum esse nec ullam habere facultatem eleemosynas colligendi. Ordinarii locorum eidem iniungant ut ad suum monasterium quantocius redeat. (A. A. S., 1 iun. 1921, 13, 268.)

151. — PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Sectio de Indulgentiis

DECLARATIO ET INDULTUM 22 IAN. 1921

Circa morem addendi quaedam verba salutationi angelicae in recitatione Ssmi Rosarii

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 163.)

Consuetudo interserendi salutationi angelicae enunciationem mysterii

In recitatione Ssmi Rosarii, ad faciliorem mysteriorum meditationem viget in quibusdam regionibus consuetudo addendi cuilibet salutationi angelicae, post vocem « Iesu », brevem enunciationem mysterii meditandi ita ut dicatur, exempli causa : « Benedictus fructus ventris tui Iesus, qui pro nobis sanguinem sudavit ». Attento autem canone 934 § 2 Codicis Iuris Canonici, iuxta quem indulgentiae alicui orationi annexae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem, a quodam oratore privatim quaesitum fuit : « Utrum praedicta consuetudo « servari et *propagari* possit, integris manentibus indulgentiis Ss. Rosario « adnexis ». Et die 27 iulii anno 1920 haec Sacra Paenitentiaria respondit : *Negative*.

Cum autem huiusmodi responsum a praedicto oratore vulgatum fuisset, nonnulli Ordinarii Helveticae et Germanicae Ditionis exposuerunt, consuetudinem praedictam sic invaluisse in suis dioecesibus inde a remota aetate, ut absque scandalo et perturbatione fidelium submoveri non possit atque insuper s. m. Pius IX, anno 1859, pro locis ubi mos iam invaluerat, clementer indulsisse ut fideles tali ratione Rosarium recitantes valeant eiusdem indulgentias lucrari.

salvis indulgentiis retineri potest, tum ubi ex indulto viget, tum alibi.

Itaque Sacra Paenitentiaria re mature perpensa censuit : 1) declarandum esse, canonem 934 § 2 Codicis Iuris Canonici continere legem generalem quae indultum pianum nullimode revocat ; 2) supplicandum SSmo pro extensione eiusdem indulti, favore omnium qui iuxta praedictum morem in quibuslibet locis SS. Rosarium recitare consueverint.

Facta autem de praemissis relatione Ssmo Dno nostro Benedicto div. Prov. Pp. XV ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiore, in audientia diei 21 huius mensis, Sanctitas Sua enuntiatam declarationem approbavit et indulti extensionem, uti supra, benigne concedere dignata est.

Dies (22 ian. 1921).

Datum Romae, in Sacra Paenitentiaria, die 22 ianuarii 1921.

O. Card. Giorgi, *Paenitentiarius Maior.*
F. Borgongini Duca, Secretarius.

Annotatio

Responsum prius negativum 27 iul. 1920 quodammodo correctum vel retractatum est concessione 21 ian. 1921. Haec enim, non solum vigere declaratur indultum Pii IX anni 1859 quo mos interponendi in medio Ave Maria brevem mysterii meditandi enuntiationem positive admissus erat, verum etiam indultum istud extensum est ita ut prosit omnibus qui

quibuslibet locis SS. Rosarium, secundum istum morem recitare consueverint. Et cum non dicatur « consueverunt » sed consueverint, permittitur quoque ut mos iste assumatur.

Per se loquendo, huiusmodi interpositio indulgentiis nocebit, si orans velit verba quibus mysterium commemoratur quasi in ipso Ave Maria inserere. Verum potius, post mediam salutationis angelicae partem, quasi moram quandam facere censetur, per quam mysterium recordetur : quod indulgentiis obstare non videtur. Ceterum, usus nominandi mysterium post vocem *Iesus*, repetendus est ab ipso Dominico Pruteno, Carthusiano, qui, initio saec. XV meditanda mysteria primus coniunxit cum recitatione salutationis angelicae, quae tunc temporis in vocem *Iesus* desinebat. Cf. Beringer-Hilgers, *Die Ablässe*, 1,467.

152. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

RESPONSUM 18 FEB. 1921

Circa indulgentias vulgo « apostolicas »

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 164.)

Dubium. Utrum canon 924 § 2 Codicis Iuris Canonici, iuxta quem « indulgentiae « coronis aliisve rebus annexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve « res prorsus desinant esse vel vendantur », abrogaverit Decretum s. m. Alexandri VII, die 6 februarii anno 1657 editum, a singulis Summis Pontificibus initio pontificatus renovatum, et etiam die 5 septembris anno 1914 a Ssmo D. N. Benedicto div. Prov. Pp. XV confirmatum, qu) expresse declaratur indulgentias vulgo « Apostolicas » coronis aliisve rebus sic adnecti ut ne transeant personam illorum, pro quibus huiusmodi res benedictae fuerint, vel illorum quibus ab istis prima vice fuerint distributae, atque ne pariter hae res commodari vel precario aliis tradi possint Indulgentias communicandi causa ?

Responsum. Sacra Paenitentiaria Apostolica, re mature perpensa, respondendum censuit : *Affirmative.*

Hoc autem responsum ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiore in audientia diei 4 vertentis februarii eidem Ssmo D. N. relatum, Sanctitas Sua approbavit, confirmavit atque publici iuris fieri iussit.

Dies (18 feb. 1921). Datum Romae, in Sacra Paenitentiaria, die 18 februarii, anno 1921.

O. Card. Giorgi, *Paenitentiarius Maior.*
F. Borgongini Duca, Secretarius.

Annotatio

Indulgentiae Apostolicae seu Papales dicuntur quae, secundum elenchum initio cuiuslibet Pontificatus promulgari solitum, annectuntur rebus eo fine benedictis a S. Pontifice vel ab eo qui potestatem accepit. Inter has reperitur indul-

gentia plenaria in articulo mortis, propter quam res ista dicuntur benedictae indulgentia « bonae mortis ». Ad ham indulgentiam consequendam, opus est ut infirmus, in ips articulo mortis, rem hac indulgentia munitam *secum* habea et tunc aliam condicionem, si exigatur, impleat, v. g. invo candi nomen Iesu et acceptandi mortem.

Iam vero, cum ipse S. Pontifex feliciter regnans, confi masset decretum Alexandri VII, vi cuius, post primum usu rei indulgentiis apostolicis ditatae, haec non poterat ian mutato possessore, novo possessori prodesse, dubitatum e utrum necne istis rebus iam applicari posset c. 924, § 2, cuius indulgentiae coronis aliisve rebus annexae cessan tantum si ipsae res prorsus esse desinant vel vendantu Ex responso affirmativo, constat indulgentias istas num factas esse reales.

Ne tamen inde existimes iam inutiliter obtineri facultate annectendi imaginibus Christi crucifixi indulgentiam *toti quoties*, quae significat imaginem istam pluribus successi infirmis servire posse ad lucrandam indulgentiam « bon mortis ». Imago enim ista non debet, sicut res mere benedict indulgentiis apostolicis, ab ipso infirmo possideri in ip mortis momento; sed iam antea potest pluribus infirm indulgentiam communicasse.

153. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

RESPONSA 18 FEB. 1921

Circa indulgentias festis annexas quando haec transferuntur

(A. A. S. 11 mart. 1921, 13, 165.)

Dubia. Attento canone 922 Codicis Iuris Canonici, proposita fuerunt sequent dubia : « Cum festum, cui annexa sit aliqua indulgentia, legitime quide « transfertur, sed ad tempus tantummodo et absque solemnitate ac extern « celebratione, quaeritur : 1° utrum indulgentia cesset vel maneat di « affixa ; et quatenus negative ad 1am partem, utrum 2° maneat et ia « cum festum transfertur ob occursum feriae VI in Parasceve ? »

Responsa. Sacra Paenitentiaria respondit : Circa 1um, *negative ad 1am partem affirmative ad 2am*. Circa 2um, *affirmative*.

Facta autem de praemissis relatione Ssmo D. N. Benedicto div. Pro Pp. XV, ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiore, in audient diei 4 huius mensis, Sanctitas Sua enunciata responsa approbavit et publ cari iussit.

Dies (18 feb. 1921). Datum Romae, in Sacra Paenitentiaria, die 18 februarii, anno 1921.

O. Card. Giorgi, *Paenitentiarius Maior.*
F. Borgongini Duca, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Nulla, re vera, erat ratio dubitandi de responso, cum c. 922 pro translatione indulgentiae exigat, *vel* translationem perpetuam, *vel* translationem ipsius sollemnitatis et externae celebrationis.

2. **Quaeres**, quid sit ista *sollemnitas*, quid addat *externa celebratio?*

Non adeo commodum est essentiales notas sollemnitatis indicare, praesertim cum documenta authentica variam rationem admittere videantur. Sic, quando C. CAPRARA plurium festorum sollemnitatem in dominicam transtulit, voluit ut missa sollemnis istam sollemnitatem significaret. In novis rubricis breviarii, inter additiones et variationes, festum habet sollemnitatem si celebratur cum feriatione (etiam suppressa) vel cum octava. In Missali vero, Additiones et Variationes in rubricis IV, 3, sollemnitas externa non supponit necessario Missam, cum *licere* dicatur ut missa de sollemnitate externa celebretur.

Ni fallimur, sollemnitas festi dicit celebrationem cum aliquo apparatu et concursu populi, vel saltem invitationem sive auctoritatum sive rectorum ecclesiae ad obtinendum huiusmodi concursum : ut cum indicitur feriatio vel additur octava.

Sollemnitas autem *et externa celebratio* idem significat quod in rubricis nunc appellatur *sollemnitas externa*.

Itaque sollemnitas ad quaedam festa accedit ; nec omnia festa habent sollemnitatem secum coniunctam ac proin etiam separabilem. Quorundum festorum sollemnitas praeceptive translata est, ut in decreto C. CAPRARA de festis concordato suppressis ; aliorum festorum sollemnitas transferri potest. In novis Missalis rubricis haec indicantur : Patroni principalis, Tituli vel Dedicationis propriae Ecclesiae, Tituli vel sancti Fundatoris Ordinis sui Congregationis (inter addit. et variat., IV, 3). His addenda sunt festa quae coniunctam habent feriationem vel celebrantur cum octava.

---

154. — S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

RESPONSUM 21 APR. 1921

Circa facultatem absolvendi censuras reservatas iuxta tenorem bullae cruciatae pro Lusitania

(A. A. S., 6 maii 1921, 13, 239).

Episcopus Egitaniensis sequens dubium proposuit : **Dubium.**

« Vi Bullae Cruciatae, die 31 decembris 1914, nationi Lusitanae conces-

« sae, indulgetur « ut omnes absolvi in foro conscientiae possint a quovi
« confessario a peccatis et censuris quibuscumque et quocumque mod
« *etiam speciali* reservatis a iure vel ab homine, ita ut sic absoluti no
« teneantur deinde recurrere ad alium quemcumque superiorem. »

« Quaeritur utrum tale indultum, post promulgationem Codicis Iur
« Canonici, facultatem faciat absolvendi etiam a censuris *specialissim*
« *modo* Sedi Apostolicae reservatis ? »

Responsum. Sacra Paenitentiaria, re mature perpensa, respondendum censuit :

Ad dubium prout proponitur, negative ; posse tamen etiam in hisc casibus absolutionem, ceteris paribus, peti atque impertiri vi et ad prae scriptum can. 2254.

Quam responsionem ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maior in audientia diei 15 aprilis 1921 Sanctissimo Domino Nostro Benedict divina Providentia Papae XV relatam, Sanctitas Sua approbare dignata es

Dies (21 apr. 1921). Datum Romae, in Sacra Paenitentiaria, die 21 mensis aprilis 1921.

O. Card. Giorgi, *Paenitentiarius Maior*
F. Borgongini Duca, Secretarius.

---

155. — S. ROMANA ROTA

CAUSAE SUMMATIM RELATAE [1]

I. Causae matrimoniales

A. *Causa quae plene refertur in A. A. S.*

Nullitas propter defectum discretionis iudicii. Die 14 nov. 1919, in causa Vic. Apci Chansi Meridionalis, *nullitatis matrimonii*, S. R. Rota, in gradu appellationis pronuntiavit constare c nullitate matrimonii contracti in infidelitate inter Mariam-Hin et Ts tcheng-lin, propter defectum discretionis iudicii in marito.

Notatur in causa, necessaria ad matrimonium pubertate includi quoqu maturitatem iudicii ad essentiales matrimonii obligationes intellegendas nec, contra ac Sanchez putabat, sufficere capacitatem peccandi mortaliter (A. A. S., XIII (1921) 54).

B. *Causae anno 1920 actae, quarum sola pars dispositiva refertur.*

Vis et metus. 1. Ex capite vis et metus *ex parte mulieris :*

Declaratum est constare de nullitate matrimonii : Die 16 ian. (N. N.) die 28 ian. in Tarentina ; die 27 febr. Vic. Apost. Uganden ; die 26 mart (N. N.) ; die 4 maii in Micopolitana ; die 27 oct. in Hierosolymitana die 16 nov. Vic. Apost. de Fianarantsoa ; die 15 dec. in Parisiensi.

Praeterea confirmata est 11 iun. sententia rotalis 31 iul. 1915 in Nicien negans constare de nullitate ; die 1 iul. sent. rotalis 12 iun. 1919 in Parisien declarans constare de nullitate ; die 19 aug. sent. rotalis 26 mart. 1920 (N. N.) declarans constare de nullitate.

Ex capite vis et metus *ex parte viri.*

Die 16 mart. (N. N.) declaratum est constare de nullitate, ex capite

[1] N. N. indicant causas sub secreto actas.

defectus consensus ex parte viri vel ob consensus simulationem — vel ex cap. vis et metus ;

Die 17 aug. responsum est consulendum esse Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

2. Ex *capite clandestinitatis* seu ob licentiae defectum, die 23 ian. confirmata est sent rot 9 iul. 1918 in Parisiensi negans constare de nullitate ; — ob defectum domicilii vel quasi-domicilii, in Parisiensi, die 13 mart. declaratum est constare de nullitate ; et 16 mart. in Vladislavien. *Clandestinitas.*

3. Ex *capite defectus consensus : ex parte viri*, *Defectus consensus.*

Declaratum est 9 feb. in Philadelphiensi constare de nullitate (matrimonium erat contractum coram civili magistratu in Foed. Amer. Statibus).

Declaratum est 13 mart. in Parisiensi non constare de nullitate (allegabatur simulatio).

Declaratum est 7 iun. in Cadurcen. constare de nullitate ob condicionem appositam et non impletam.

Ex capite defectus consensus *ex parte mulieris*, die 19 maii (N. N.) declaratum est non constare de nullitate matrimonii ob condicionem appositam et non impletam ; — die 19 iun in Parisiensi, declaratum est constare de nullitate, ob condicionem appositam et non impletam.

4. Ex parte *impotentiae mulieris*, die 25 mart. in Vic. Apost. Mongoliae Orientalis, declaratum est constare de matrimonio rato et non consummato. *Impotentia.*

Ex parte impotentiae *viri*, 28 iul. in Parisien. definitum est constare de nullitate.

5. Ex capite *amentiae*, die 27 iul. in Patavina, definitum est non constare de nullitate. *Amentia.*

6. Consilium pro dispensatione in matrimonio rato et non consummato datum est 17 aug. in Parisiensi. *Dispensatio in rato et non consummato.*

II. **Causae varii argumenti**

A. *Causae plene relatae in A. A. S.*

1. Die 29 iul. 1919, in causa Bergomen. *Reditus cappellaniae*, S. R. Rota, declaravit ad capellanum capellaniae cuiusdam laicalis pertinere usumfructum certi praedii, quo expressa institutionis dispositione, duo priores cappellani fruiti erant, quamvis dein tertius cappellanus istud amisisset quia residentiam mutaverat. Negata fuit exceptio praesumptionis. In causa, de distinctione capellaniae ecclesiasticae et laicalis et natura beneficii utiliter disseritur. (A. A. S., XIII (1921) 47). *Reditus capellaniae.*

2. Die 14 nov. 1919, in causa Alexandrina, *Iurispatronatus*, S. R. Rota confirmavit superiorem decisionem rotalem quae iuspatronatus cuiuspiam patronatus pertinere pronuntiavit ad Aristidem Stortiglione, utpote verum agnatum fundatoris. *Iurispatronatus.*

In causae expositione, memoratur ius fundatoris apponendi, in limine fundationis, condiciones etiam iuri communi contrarias, modo sint possibiles, honestae et ab episcopo approbatae.

Notio deinde traditur iurispatronatus *familiaris*, quod, exclusis cognatis, uni seu pluribus familiis vel agnationibus reservatum est, et iurispatronatus *gentilicii*, largo modo sumpti, quod comprehendit omnes sive per agnationem sive per cognationem descendentes, includendo feminas et masculos ab iis provenientes. (Agnatio, praeter sanguinis communionem, requirit cognomen domus seu familiae.) *Quid familiare, gentilicium.*

Familia effectiva, contentiva.

Familia quoque sumitur *effectiva*, quae solos comprehendit agnatos descendentes a testatore vel ab eo quem testator talis familiae caput constituit, vel *contentiva* quae comprehendit omnes descendentes ab agnati transversalibus.

Notatur quoque scripturam privatam instrumento *publico*, seu plenam fidem facienti, assimulari eam quae ex archivio publico sive ex cancellari extrahitur, et nulli suspicioni dat locum. (A. A. S. XIII (1921), 61.)

Expensae detrahendae ex tradendis bonis.

3. Die 12 dec. 1919, in causa Clavaren. *exsecutionis sententiae* S. R. Rota declaravit quaenam expensae essent detrahendae a bonis capellaniae quae ab uno parocho alteri tradi debebant.

In causa, explicatur lex italica 1867, quae, suppressis capellaniis omnibus, in manibus auctoritatis civilis earum bona tradiderat, unde, solutis quadam summa liberari possunt, firma remanente obligatione exsequendi onera.

Quid abbonare.

Observatur vocem *abbonare* saepe significare compensationem procurari creditori ex rebus quae iam sunt in suis manibus. (A. A. S. XIII (1921), 73.)

Diffamationis et poenarum; expulsionis ex dioecesi.

4. Die 15 iun. 1920, in causa Londonen. (Canadensis Dominii) diffamationis et poenarum, S. R. Rota pronuntiavit exceptiones quasdam inconsultae petentiae bene reiectas fuisse, illegitime autem reiectam exceptionem de suspicionis, cum ipse Ordinarius factus esset actor; poenam ab episcopo latam fuisse iustam erga unum sacerdotem, iniustam quod ad *modum*, erga alterum, quia intempestiva; non fuisse proprie dictam diffamationem, sed quia non erat obiectiva, sive quia desiderabatur elementum *intentionis delosae;* ac fuisse sacerdotem legitime expulsum e dioecesi, cum ejus incardinatio iudicanda esset ex iure ante decretum *A primis*, eidem tamen competere ius ad honestam sustentationem propter diuturna servitia et provectam aetatem. Refertur quoque responsum ad 7. omisso (ex errore typographico) 7 quaesito. (A. A. S. XIII (1921) 73.)

B. *Causae anno 1920 actae, quarum sola pars dispositiva refertur.*

1. *Diffamationis et refectionis damnorum.*

Diffamationis.

Die 5 ian. confirmata est sententia rotalis 11 aug. 1917 (N. N.) qua negavit constare de iniuria.

2. Refertur hic pars dispositiva causae Londonen. quae plene fuit relata. Novimus hic septimum quaesitum, ibi omissum: « An et quomodo sit providendum favore sacerdotis St Cyr, in casu ».

2. *Iurium.*

Iurium.

De iuribus sacerdotis Bujon in ecclesia B. Ioannae ab Arc (in Molinen.) die 17 iun. mutatur sententia rotalis 27 aug. 1917.

De partitione summae obtentae a « Fondo del Culto » in Angeli de Lombardis, die 16 iul. confirmatur, iuxta modum, sententia Rotali. 28 feb. 1919.

N. B. Plures praeterea memorantur causae quae sine definitiva sententia finem habuerunt.

Omnes relatae sunt ex cancellaria, 15 ian. 1921.

Observes itaque plurimas causas etiam non secretas non iam esse plene relatas in A. A. S.

Pag. 175 et 240 referuntur binae citationes edictales ad comparendum, in causis nullitatis matrimonii; altera 14 feb. 1918 Vicariatus Apostolici Aegypti (Musarelli. De Vannes); altera in causa Bogoten. (Suarez-Edmunson) 5 april. 1921.

156. — SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

CAUSA SUMMATIM RELATA

Tergestina, recursus seu proventus et emolumentorum.

Die 15 mart. 1921 non est receptus recursus promotoris iustitiae curiae Tergestinae adversus decretum quo Cardinalis Ponens 13 feb. declaraverat instantiam inter duos parochos esse peremptam, et adversus decretum 19 ian. 1921 quo reiecta fuit appellatio, lapsis inutiliter fatalibus.

Munus promotoris iustitiae.

In ista causa notabile est quod dicitur tum de munere Promotoris iustitiae, tum de incompetentia Promotoris iustitiae ad agendam personam actoris vel conventi in aula alterius tribunalis; tum de repraesentatione universali causarum piarum quam solus habet Ordinarius. (A. A. S., XIII, (1921) 272.)

157. — PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

RESPONSA 1 MART. 1921

Dubia soluta in plenariis comitiis Emorum Patrum

(A. A. S., 11 mart. 1921, 13, 177.)

I

In quibusdam Institutis votorum simplicium vota emittuntur sub hac vel simili condicione apposita: « Donec in Congregatione vivam », ita ut alumnus, sive sponte discedat sive a Superioribus dimittatur, ipso facto a votis liber evadat. Hinc quaeritur:

1° In hisce Institutis debetne tali professioni praemitti triennium votorum temporaneorum, ad normam can. 574? *Can. 574.*

2° In dimissione alumnorum, qui similem professionem emiserunt, debentne servari cann. 647-648 de dimissione religiosorum qui vota temporanea emiserunt, vel can. 649 et sequentes de dimissione eorum, qui vota perpetua emiserunt? *Cann. 647-648 et 649.*

Resp.: Ad 1um. Negative.

Ad 2um. Pro iis qui vota iam emiserunt sub hac condicione, serventur canones 646, 647 et 648.

II

In can. 681 praescribitur ut in dimissione alumnorum societatum sine votis serventur canones 646-672, qui de dimissione religiosorum agunt. Cum vero hi canones diversa praescribant, pro diversitate casuum votorum temporaneorum aut perpetuorum, quaeritur ad quemnam casum referri debeat praescriptio praedicti can. 681, cum in eo agatur de alumnis qui nulla vota emittunt? *Can. 681.*

Resp.: Si vinculum quo adstringuntur sodales Societatis sine votis est temporale, serventur canones qui agunt de dimissione religiosorum qui

vota temporaria emiserunt ; si sit perpetuum, serventur canones de dim sione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt.

III

Cum in Constitutionibus quarundam Congregationum Religiosar iuris pontificii in formula professionis nulla fiat mentio Antistitae, tantummodo Episcopi vel eius delegati, quaeritur :

Can. 572, § 1, n. 6. 1° An Episcopus vel eius delegatus in casu habendus sit legitim Superior secundum Constitutiones ad professionem recipiendam, de in can. 572, § 1, n. 6.

Cann. 597-600. 2° An lege clausurae papalis, de qua in cann. 597-600, comprehendan etiam moniales, quarum vota, quamvis ex Instituto deberent esse sollem tamen in aliquibus locis, ex praescripto Sedis Apostolicae sunt simplic

Resp. : Ad 1um. Affirmative, tamquam habens legitimum mandatum Ad 2um. Negative, ratione indulti apostolici adhuc in vigore manentis.

IV

Can. 1045, § 1. Utrum ad normam can. 1045, § 1, clausula « quoties impediment « detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias », intelligi debe stricto sensu, scilicet quod impedimentum antea omnino ignotum fueri tunc resciatur, an potius eo sensu quod, quamvis antea cognitum, t solum tamen ad notitiam Parochi aut Ordinarii sit delatum.

Resp. : Negative ad 1am partem, affirmative ad 2am.

Romae, 1 martii 1921.

Petrus Card. Gasparri, *Praeses.*
Aloisius Sincero, Secretarius.

Annotationes

De quattuor responsis haec observanda veniunt.

I. Ratio primi responsi haec brevis dari potest, quia vo emissa « donec in Congregatione vivam » non sunt perpetua canon autem 574 supponit Institutum votorum perpetuorum Ideo etiam in dimissione observandi sunt canones de dimi sione eorum qui vota temporanea emiserunt.

Responsum autem ad 2 circumscribitur iis *qui vota sic ia emiserunt,* fortasse quia de opportunitate servandi har votorum formam S. Congregatio deliberare proponit.

Observes autem vocem *condicionis* improprie adhiber Talia vota non sunt condicionata sed ad diem incerta emissa. Quisnam enim cogitarit in egressu alumni tali vot ligati regulas applicare condicionis resolutoriae, et effectu antea productos revocare? Hoc tamen condicio propri dicta operaretur.

II. In altero responso, Commissio sapienter respondit pr perpetua vel temporali vinculi firmitate applicandos esse propter analogiam, canones de religiosis perpetuae ve temporariae professionis.

Difficultas tantum superest de institutis quae, sicut orato rium S. Philippi, nullum proprie dictum vinculum admittunt nec temporale nec perpetuum. Videntur isti alumni potiu

assimulandi noviciis Congregationum religiosarum, ita ut per se rationabilis causa sufficiat ad ipsos dimittendos, nisi aliud ferant propriae Constitutiones.

III. Responsum ad 1 prorsus confirmat quod scripsimus in *Epitome*, I, 575, 4°, etiam Praelatum extraneum vel sacerdotem designari nomine legitimi Superioris recipientis, dummodo secundum constitutiones sit deputatus ad recipienda haec vota.

Ad alterum responsum quod attinet, cum moniales monasterii ubi non fiunt vota sollemnia, non sint *regulares*, iam inde perspicitur easdem canonibus clausurae quae papalis dicitur con comprehendi.

Observes hodie, aliquo vero sensu, omnem clausuram dici posse papalem, cum iure communi praescribatur servanda ; nomen tamen papalis clausurae reservatur clausurae quae sanctione papalis excommunicationis protegitur.

IV. Valde notabile est responsum ad IV. Permittit enim ut ignoratio vel notitia impedimenti ad scientiam extrasacramentalem parochi aut Ordinarii referatur, ita ut aliena scientia sive paucorum sive multorum, ac proin ipsa contrahentium mala fides, non obstet applicationi c. 1045 § 1 et usui facultatum ibi concessarum. Ad parochum vel Ordinarium pertinebit statuere quid agendum sit, si mala contrahentium fides deprehendatur.

Simul tamen hoc colligendum videtur, applicationem eiusdem canonis excludi si ipse parochus vel Ordinarius antea conscii fuerint impedimenti, quamvis hoc fuerit aliis ignoratum.

158. — DATARIA APOSTOLICA

Erectio dignitatis.

Litteris apostolicis a Dataria expeditis 12 martii 1921, SS. Dominus erexit in cathedrali capitulo Nivernensi unicam Dignitatem, cui *decanatus* nomen inhaerere debet, et quae per unum e canonicis simul cum suo canonicatu et praebenda, sine dispensatione apostolica retineri potest. (A. A. S., 1 iun. 1921, 13, 274.)

159. — PROVISIO ECCLESIARUM

A. *In consistorio secreto 7 mart. 1921*, archiepiscopi vel episcopi residentiales renuntiati sunt :

R. P. D. Franc. Mostyn, archiep. Cardiffensis (Anglia) ex episcopo Menevensi. *Cardiff.*

R. P. D. Ioan. a Iesu Herrera y Pina, archiep. de Linares (Ditio Mexicana), ex episcopo de Tulancingo. *Linares*

R. P. D. Vinc. Casanova y Marzol, archiep. Granatensis (Hispania) ex episcopo Almeriensi. *Granada.*

Luni-Sarzana e Brugnato R. P. D. Bern. Pizzorno, ep. Lunensis, Sarzanensis ac Brugnatens (Italia) ex episcopo titulari Flaviopolitano.

Orense R. D. Flor. Cervino y Conzales, ep. Auriensis (Hispania).

In eodem consistorio, iam renuntiati per litteras sub plumbo, publica sunt :

Smyrne R. D. Ioan. Bapt. Frider. Vallega, archiep. Smyrnensis (Asia).

Iaca R. P. D. Salvator Bella, ep. Iacensis (Hispania) ex episcopo Fodiano.

Cuneo R. P. D. Ios. Castelli, ep. Cuneensis (Italia) ex episcopo Segusiensi.

Tacambaro R. D. Leop. Lara, ep. Tacambarensis (Ditio Mexicana).

R. P. D. Maximilian. Novelli, ep. Andrapanensis (Italia) ex episcop Collensi.

Tricarico R. D. Achill. Grimaldi, ep. Tricaricensis (Italia).

In consistorio secreto 10 mart. 1921 renuntiati sunt :

Olmutz R. D. Anton. Cyrill. Stojan, archiep. Olomucensis (Tcechoslovachia).

Costarica R. D. Otho Raph. Castro, archiep. S. Iosephi de Costarica (America centr.

Alajuela R. P. P. Anton. Monestel, ep. Alajuelensis (Costarica) ex episcopo titul. Sorensi.

Wichita R. D. Aug. I. Schwertner, ep. Wichitensis (Stat. foed. Amer. septemtr.

Amiens R. D. Carol. Le Comte, ep. Ambianensis (Gallia).

Port-Victoria R. D. Alovs. Gumy, O. M. Cap., ep. Portus Victoriae (Insularum Seychellarum).

In consistorio secreto 13 iun. 1921 designati sunt :

Milano Em. Card. Achill. Ratti, archiep. Mediolanensis (Italia).

Liverpool R. P. D. Frider. Guil. Keating, archiep. Liverpolitanus (Anglia) ex episcop Northantoniensi.

Colle Val d'Elsa R. P. D. Ioan. Andr. Masera, ep. Collensis (Italia) ex episcopo titula Himeriensi.

Fabriano e Mathelica R. P. D. Alois. Ermini, ep. Fabrianensis et Mathelicensis (Italia) e episcopo Caiacensis.

Königgrätz R. P. D. Carol. Kaspar, ep. Reginae-Gradicensi (Tcechoslovachia) e episcopo titulari Bethsaidensi.

Terni e Narni R. D. Caesar Boccoleri, ep. Interamnensis et Narniensis (Italia).

Livorno R. D. Ioan. Piccioni, ep. Liburnensis (Italia).

Susa R. D. Humb. Rossi, ep. Segusiensis (Italia).

In consistorio secreto 16 iun. 1921 designati sunt :

Birmingham R. P. D. Ioan. Mc Intyre, archiep. Birmingamiensis (Anglia) ex archiepiscopo titulari Oxyrynchiensi.

Cleveland R. P. D. Ios. Schrembs, ep. Clevelandensis (Stat. foed. Amer. septemtr. ex episcopo Toletano (Amer.)

Springfield R. P. D. Thom. O'Reilly, ep. Campifontensis (Stat. foed. Amer. septemtr.

Prince Albert et Saskatoon R. D. Ios. Prud'homme, ep. Principis Alberti et Saskatoonensis (Canada)

Pittsburg R. D. Hugo Bogle, ep. Pittsburgensis (Stat. foed. Amer. septemtr.)

B. Archiepiscopi vel Episcopi *residentiales* et *nullius* per *decreta S. C. Consistorialis* nominati sunt :

Pelotas 15 mart. 1921 R. D. Ioachim. Ferreira de Mello ep. Pelotensis (Brasilia)

Catatinisetta 18 » » R. P. D. Ioan. Iacono, ep. Calatinisiadensis (Sicilia) e episcopo Melphictensium et Iuvenacensium.

11 apr. 1921	R. D. Vinc. Tymieniecky, ep. Lodzensis (Polonia).	*Lodz*
13 » »	R. D. Iac. Carabelli, archiep. Syracusanus (Sicilia).	*Siracusa*
21 » »	R. P. D. Paschal. Berardi, archiep. Caietanus (Italia), ex episcopo Rubensium et Bituntinorum.	*Gaete*
28 » »	R. D. Ioan. Raffl, ep. Brixinensis (Austria).	*Brixen*
30 » »	R. D. Emman. Ledwina ep. Corporis-Christi (Stat. foed. Amer. septemtr.)	*Corpus Christi*
9 iun. »	R. D. Felix Cribellati, ep. Nicoteriensis et Tropiensis (Italia).	*Nicotera e Tropea*

C. Vicarii (V. A.) et Praefecti Apostolici (P. A.) *brevibus apostolicis*, ope *S. C. de P. Fide* nominati sunt :

3 dec. 1920	R. D. Ub. Fr. Schraven, e Congr. Miss. V. A. Ce-li meridio-occid. in Cina.	*Ce-li merid.-occid.*
4 » »	R. D. Ios. Hallé, V. A. de Ontario sept. (America).	*Ontario*
20 » »	R. D. Aug. Ern. Pet. Gaspais, coad. cum iure success. V. A. Manciuriae Septemtr.	*Manciuria septemtr.*
30 » »	R. D. Dav. Le Cadre, V. A. insularum Marchesi. (Polynesia).	*Insul. Marchesi*
4 ian. 1921	R. P. Aeg. de Boeck, V. A. Novae Antverpiae (Congo belg.)	*Nova Antverpia*
23 feb. »	R. D. Mart. Chiolino, V. A. de Honan Septemtrionali (Cina).	*Honan septemtr.*

D. Vicarius apostolicus ope *S. C. pro Ecclesia Orientali* nominatus est :

5 apr. 1921	R. D. Franc. Vazhapilly, V. A. Trichuren. (ritus Syro-Malabar., in Asia).	

160. — NOMINATIONES NUNTIORUM, INTERNUNTIORUM ET DELEGATORUM APOSTOLICORUM

Nuntii, Internuntii et Delegati apostolici per *litteras Secretariae Status* nominati sunt :

12 nov. 1920	R. D. Ernestus Cozzi, Del. Ap. in Albania.	*Albania*
25 ian. 1921	R. D. Andr. Cassulo, Del. Ap. in Aegypto et Arabia nominatus Brevi apostolico transmisso per *S. Congr. pro Ecclesia Orientali.*	*Aegyptus et Arabia*

161. — NECROLOGIUM

4 dec. 1920	Ill. D. Franc. Löbmann, ep. tit. Prienen., vic. ap. Saxoniae.	*Saxen*
7 » »	Em. Card. Ios. Sebastiano Netto, part. Ulissyponen. (Portugallia).	*Lisboa*
9 » »	Ill. D. Ios. Meseguer y Costa, arch. Granaten. (Hispania).	*Granata*
13 » »	Ill. D. Ioan Gaspare Stork, ep. Costaricen. (America centr.).	*Costarica*
26 nov. »	Ill. D. Marc. Chatagnon, ep. tit. Chersonesi, V. A. de Seciuen merid. (Cina).	*Se-ciuen merid.*
25 ian. 1921	Ill. D. Rod. Caroli, archiep. tit., internunt. ap. in Bolivia.	*Bolivia*

Tucuman	31	ian.	1921	Ill. D. Paul. Padilla y Barcena, ep. Tucumanen. (Argentina).
La Paz	»	»	»	Ill. D. Caelest. Soza, ep. Pacen. (Bolivia).
Liverpool	»	»	»	Ill. D. Thon. Whiteside, archiep. Liverpolitan. (Anglia).
Milano	2	feb.	»	Em. Card. Andr. Ferrati, archiep. Mediolanen. (Italia).
Léon	»	»	»	Ill. D. Sim. Pereira y Castellon, ep. Leonen. (Nicaragua).
Nimes	3	»	»	Ill. D. Fel. Aug. Béguinot, ep. Nemausen. (Gallia).
Cleveland		»	»	Ill. D. Ioan. P. Farelly, ep. Clevelanden. (Status foederati Americae septemtr.).
Porto-Rico		»	»	Ill. D. Gul. Ambr. Jones, ep. Portoricen.
Livorno	18	»	»	Ill. D. Sab. Giani, ep. Liburnen. (Italia).
Königgrätz	22	»	»	Ill. D. Ios. Doubrava, ep. Reginae Gradecen. (Tcechoslovachia).
Clermont-Ferrand	19	mart.	1921	Ill. D. Petr. M. Belmont, ep. Claramonten. (Gallia).
Cadix	20	»	»	Ill. D. Tim. Hermandez y Mulas, ep. Guadicen. (Hispania).
Baltimore	24	»	»	Em. Card. Iac. Gibbons, archiep. Baltimoren. (Status foeder. Americae septemtr.).
Vigevano	8	apr.	»	Ill. D. Pet. Berruti, ep. Viglevanen. (Italia).
Dublin	»	»	»	Ill. D. Gul. Ios. Walsh, archiep. Dublinen. (Hibernia).
Mainz	16	»	»	Ill. D. Georg. Henr. Kirstein, ep. Moguntin. (Germania).
Ogdensburg	23	»	»	Ill. D. Henr. Gabriels, ep. Ogdensburgen. (Stat. foeder. Amer. septemtr.).
Calabozo	6	maii	»	Ill. D. Phil. Nerius Sendrea, ep. de Calabozo. (Venezuela).
Spalato	17	»	»	Ill. D. Georg. Carié, ep. Spalaten. (Iugoslovachia).
Providence	26	»	»	Ill. D. Matth. Harkins, ep. Providentien. (Stat. foed. Amer. septemtr.)
Meaux	3	iun.	»	Ill. D. Emm. Iul. M. Marbeau, ep. Melden. (Gallia).
La Crosse	6	»	»	Ill. D. Schwebach, ep. Crossen. (Stat. foed. Amer. septemtr.).

BIBLIOGRAPHIA [1]

Ex libris

F. M. Cappello. S. I. prof. in Univ. Gregoriana. — *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis iuxta Codicem iuris canonici.* Vol. I. De sacramentis in genere, de Baptismo, Confirmatione et Eucharistia, in-12, XXIV, 696 pp. Taurinorum Augustae, P. Marietti, 1921, 17 fr.

Lib. I. De sacramentis in genere. — Cap. I. De natura sacramentorum. — Cap. II. De ministro sacramentorum. — Cap. III. De subiecto sacramentorum. — Cap. IV. De sacramentalibus.

Lib. II. De Baptismo. — Cap. I. De natura baptismi. — Cap. II. De ministro et subiecto baptismi. — Cap. III. De ritibus et caerimoniis Baptismi, de patrinis, de loco ac tempore.

Lib. III. De confirmatione. — Cap. I. De natura confirmationis. — Cap. II. De ministro et subiecto confirmationis. — Cap. III. De ritibus ac caerimoniis, de patrinis, loco ac tempore, etc. confirmationis.

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, libraire, Bruges.

Lib. IV. De Eucharistia. — Pars I. De SS. Eucharistia prout est sacramentum. — Cap. I. De natura et effectibus Eucharistiae. — Cap. II. De materia et forma Eucharistiae. — Cap. III. De Eucharistiae ministro. — Cap. IV. De custodia SS. Eucharistiae. — Cap. V. De sanctissima Communione. — Cap. VI. De subiecto Eucharistiae. — Cap. VII. De iudicio circa puerorum dispositionem ad primam communionem, de obligatione parentum, confessarii, parochi, etc. — Cap. VIII. De communione frequenti et quotidiana, de communione spirituali et sacrilega. — Pars II. De SS. Eucharistia prout est sacrificium. — Cap. I. De natura et efficacia SS. Missae sacrificii. — Cap. II. De obligatione celebrandi. — Cap. III. De missis fundatis, de reductione, condonatione et translatione Missarum. — Cap. IV. De iis quae requiruntur ad licitam Missae celebrationem. — — Cap. V. De praeceptis liturgicis in celebratione Missae servandis. Index rerum ordine alphabetico digestus.

C. Carbone. Theol. fundam. ac dogm. professor. — *Examen confessariorum ad codicis iuris canonici normam concinnatum*, in-12, XVI, 368 pp. Taurini Augustae, Marietti, 1921, 12 fr.

Pars I. De sacramento a confessario administrando. — Cap. I. De veritate et essentia sacramenti Paenitentiae. — Cap. II. De sacramenti Paenitentiae forma. — Cap. III. De sacramenti Paenitentiae materia. — Cap. IV. De virtute et efficacia sacramenti Paenitentiae. — Cap. V. De sacramenti Paenitentiae ministro. — Pars II. De confessione. — Cap. I. De confessionis notione. — Cap. II. De confessionis subiecto. — Cap. III. De satisfactione in confessione imponenda. — Pars III. De ipso confessario. — Cap. I. De potestate confessarii. — Cap. II. De partitione confessariorum. — Cap. III. De officiis confessariorum. — Cap. IV. De obligationibus confessariorum. — Cap. V. De confessarii eloquentia. Appendicula de praxi confessionis. Index analytico-alphabeticus. Index synopticus.

Ex periodicis

Canoniste contemporain. Janv.-février 1921. A. Villien, *L'introduction en France des décrets du Concile de Trente.* Aug. Couly, *Les biens temporels de l'Église.* Acta S. Sedis.

Collationes Brugenses. Ian.-febr. 1921. Ill. D. Waffelaert, *Analecta ascetica et mystica* ex opere L. Blosii. — V. Coucke, *De patrinis.* — A. De Meester, *Notion de la fondation.* — *Fabriques d'églises. Loi et documents de jurisprudence.*

Mart.-apr. 1921. Ill. D. Waffelaert, *Analecta ascetica et mystica.* — V. Coucke, *De patrinis.* — E. Hosten, *De nova lege fiscali.* — A. De Meester, *De domicilio et quasi-domicilio.*

Collationes Gandavenses. Febr. 1921. Standaert, A., *An matrimonium contrahi potest coram solis testibus, si sacerdos assistens exoneretur poenis art. 267 Codicis poenalis? — Comment se font les réparations d'église?* — Van Imschoot, P. *Notes critiques sur le Logos Johannique.* — Claeys-Bouüaert, F. *Les origines et les premiers développements du socialisme, comme doctrine et comme parti.*

Commentarium pro religiosis. Dec. 1920. S. Goyeneche, *De transitu ad aliam religionem.* — A. Larraona, *Consultationes* de c. 543 (circa admissionem ad noviciatum et professionem); de c. 589 (circa studia in inferioribus disciplinis); de accessu ad claustra Monialium; de c. 544 (circa testimoniales); de c. 569 (circa renuntiationem bonorum) de c. 581 (id.); de cc. 106, n. 5° et 491 (circa praecedentiam).

7 ian. 1921. A. Larraona, *De paupertate simplici.* — S. Coyeneche, *De vi c. 522.*

Febr. 1921. Maroto, Ph., *Acta et Documenta.* Annotationes ad quae-

dam responsa Comm. interpr. I. C. — GOYENECHE, S. *Consultationes* c. 522 ; cc. 579. 581 ; c. 598, § 2 ; c. 530, § 1 ; c. 591 ; c. 559.

Mart. 1921. MAROTO, PH. *Acta et Documenta.* — A. LARRAONA, *Stud canonica (de paupertate simplici).* — VOLTAS, *Quaestio canonica (de no ciatus interruptione).*

April. 1921. A. LARRAONA, *De paupertate simplici.* — P. VOLTAS, *De no ciatus interruptione.* — S. GOEYENECHE, *De transitu ad aliam religione*

Illustracion del Clero. 1 ian. 1921. AG. DE LAZCANO, C. M. F., *Recon cimento de hijo natural.*

1 febr. 1921. GREG. MARTINEZ DE ANTONANA, C. M. F., *De la applicaci de la segunda Misa y de « pro populo ».* — FRANC. DE ORUE-REMENTER C. M. F. *Validez de la subdelegacion de las dispensas matrimoniales.* ID., *Responsa de cc. 1216. 1236.*

16 febr. 1921. FRANC. DE ORUE-REMENTERIA, *Translacion nula de parroco.* — ID. *Responsa de cc. 316. 1023. 770. 399. 466.*

1 mart. 1921. JUAN POSTIUS, C. M. F., *Concesion, interpretacion y ta de las facultades de la Nunciatura.* — GREG. MARTINEZ DE ANTONAN C. M. F., *Libro de los confirmandos.* — FRANC. DE ORUE-REMENTER C. M. F., *Denuncia de los solicitantes.*

16 mart. 1921. GREG. MARTINEZ DE ANTONANA, C. M. F., *Nombramien de Coadiutores.* — *Facultades de los representantes pontificios.* — JU POSTINO, C. M. F., *Concesion, interpretacion y tasa de las facultades la Nunciatura.* — F. DE ORUE-REMENTERIA, C. M. F., *Consultationes* cc. 1509. 1507. et de binatione.

1 maii 1921. PANTALEON CASANUEVA, C. M. F., *El nuevo misal tipico.* DE ORUE-REMENTERIA, C. M. F., *Los canónigos de oficio catedráticos Espana y el canon. 1.440.* — PANT. CASANUEVA, *Consultas y Respuesta*

Monitore ecclesiastico. Ian. 1921. *Il Codice di diritto canonico, ria sunto e dilucidazioni,* Libro IV. — Questioni : L'esame dei Parroci.

Aprilis 1921. *Il Codice,* etc. *Procedura giudiziaria. Quesiti mino* (cc. 813 et missa per dialogum ; c. 822, de numero missarum quae po sunt celebrari in oratorio ; de exercitiis mensis maii, etc.)

Resena Ecclesiastica. Ian.-febr. 1921. RAMON BANCELLS Y SERRA, *Tert liano y la doctrina Christologico-Trinitaria* (III). — Documentos past rales : *Reorganización de las fuerzas femininas de la Diócesis de Barc lona para el ejercicio de la Acción Católica.*

Revue ecclésiastique de Liége, XII, nº 4. SIMENON, G., *La théolog eucharistique aux IXe et XIe siècles.* — KISELSTEIN, G., *Conceptus matr monii civilis exponitur.* — MARÉCHAL, G., *De admissione puerorum a primam Communionem privatam.* — Documents.

Rivista di studi missionari. 1 mart. 1921. PARODI, M., *Il contribu geografico del B. Oderico da Podernone, O. F. M.* — CAIROLI, PASQ *Appunti di Diritto publico.* — TRAGELLA, G. B., D. M. E., *La fondazion del Seminario delle Missioni estero.*

CORRIGENDA ET ADDENDA

p. 289, n. 137. ANNOTATIONES

1. Lege : 25 apr. et 2 aug. 1918....

2. Quattuor primis lineis hae sufficiendae sunt : Vi decreti 4 mart. 191 (A. A. S., XI, p. 120. *Per.* X, p. 51), hae facultates omnes prorogatae sur « usque ad sex menses integros post signatam inter nationes, quae bell contenderunt, pacem ». Hic terminus pro variis nationibus varius eri Etenim, mense septembri 1921, nondum confirmatum erat foedus paci inter Status foederatos Americae Septemtrionalis et Germaniam.

ACTA SANCTORUM

OPUS PRAESTANTISSUM

BOLLANDIANUM

66 vol. fr. 8.000. Rel. fr. 11.500.

Hoc quam praestantissimum opus rariter invenire quidam potest. Exemplar unicum nunc pro tempore cum tenemus, gratissimi erimus si emptor quidam probabilis quam celerrime opportunitatem istud exemplar possidendi ceperit.

Analecta Bollandiana

T. I ad 33 incl. fr. 500.00, rel. . . . . fr. 1000.00
T. 34 reimprimitur. T. 38 (1920) excl. lig. . . . fr. 21.00
T. 35 (1921) fr. 24.00 (excl. lig.)

MISSALE ROMANUM

DIVERSARUM EDITIONUM — IN VARIIS DIMENSIONIBUS

etiam in dimensione redacta pro missionariis.

Ligatura in corio marocchino diversorum colorum, foliis et fronte deauratis, usui quam optima, in officina propria **CAROLI BEYAERT, BRUGIS (Belgii)** « *manu*» facta, addictis Propriis requisitis, pretio emptori quam favorabili.

OFFICINA GENERALIS ARTIS CHRISTIANAE

CAROLI BEYAERT BRUGIS (Belgii)

Stationes Viae Crucis

Imagines Praepositum Generalium S. J., necnon RR. Superiorum omnium Ordinum aut Congregationum: **Altaria — Statuae — Calices Candelaria — Paramenta liturgica — Implementa Ecclesiastica.**

EIUSDEM SCRIPTORIS

De Religiosis Institutis et Personis, tractatus canonico-moralis. Tertia editio, ac post Codicem recognita (Paratur).

Eiusdem operis **Supplementa et Monumenta**, 1 vol. in-8°, XLIV-912 pag. 1910. quarta. Venit 16 fr.

De Religiosis et Missionariis. Supplementa et Monumenta *Periodica*.

Tomus I, 4,00 fr. — Tomus II et III, pro duobus annis, 8,00 fr. — Tomus I duobus annis, 7,00 fr. — Tomus V, pro duobus annis, 7,00 fr. — Tomus V duobus annis, 7,00 fr. — Tomus VII, pro duobus annis, 7,00 fr. — Tomus V anno 1914-1916 (ad promulgationem Codicis), 12,00 fr. (Sine augmento). — Tor (1917-1918), 12.00 fr.

De Castitate et de Vitiis contrariis. Tractatus doctrinalis et moralis. Romae-Brugis, 1921, 1 vol. in-8° XII-428 p. In Italia, 12 libellae ; alibi, 20.00 fr. (Sine augment

Summa Novi Juris Canonici. Commentariis aucta ab A. VERMEERSCH, S. I. et I. CREUSEN Editio quarta. 1921, in-8° XII-224 pp. 6,50 fr.

De Iustitia, 3ª editio praeparatur. Praeter quaestiones disputatas, tertia editio quoque complectetur.

Quaestiones de religione et pietate, Brugis, 1912, 1 vol. in-8° XV-282 p., 3,00 fr.

De vocatione religiosa et sacerdotali dissertatio. Editio altera, 1,25 fr.

De modernismo, tractatus et notae cum actis S. Sedis ad 25 sept. 1910, 1,25 fr.

De forma Sponsalium ac Matrimonii post Decretum « Ne Temere », ed. quinta, 1912, 1

De Casu Apostoli seu fidei privilegio, 1911. 1,00 fr.

Theologiae moralis principia, responsa, consilia (praeparatur).

Epitome iuris canonici cum commentariis ab A. VERMEERSCH, S. I. et I. CREUSEN, S. usum quoque scholarum, t. I, sc. Libri I et II Codicis, in-8°, XII-392 pp. 1921. (sine augmento) — Tomus alter sub prelo.

La Question Congolaise, 1 vol. in-12. 375 p. 1906, avec carte. Prix : 3,50 fr.

Les Destinées du Congo belge, supplément à *La Question congolaise*, 1 vol. in- 90 p., 1906. Prix : 1,25 fr. — Les deux vol. réunis, 4,50 fr.

La Femme Congolaise, 1 vol. in-8°, de 150 p., 1914. Prix : 2,00 fr.

Le rôle des catholiques au Congo belge, 64 p., 1914. Prix : 0,75 fr.

La Tolérance (editio gallica exhausta est. Exstat quoque anglice, germanice, hispa

Méditations sur la Ste Vierge, à l'usage du clergé et des fidèles. 2 vol. Editio fr. 12,00 (sine augmento). — Exstat quoque anglice, hispanice, italice, neerla

Pratique et Doctrine de la dévotion au Sacré-Cœur. fr. 6,50 (sine augmento). — (quoque anglice, hispanice, italice, neerlandice).

Le Belge et la Personne civile, 1 vol. in-8°, de 95 p., 1908, 1,00 fr.

Pour l'honnêteté conjugale (Card. MERCIER, Dr DESPLATS, A. VERMEERSCH, S. I), 3 1 vol. 125 p., 1919, 1,25 fr.

Le problème de la natalité en Belgique, 1910 (Coll. *Science et foi)*, 0,50 fr.

Les leçons morales de la Guerre, 1919, 1,00 fr.

Subsequentur Tractatus canonico-moralis **De Missionariis et Sacris Missio — Quaestiones morales de Theologia fundamentali et de Virtutibus. — De ce et Prohibitione librorum** (Editio quinta).

N. B. — *Pretia ista temporarie 20 °/o augenda sunt.*

UNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA

QUAM IN COLLEGIO LOVANIENSI S. I. TRADIDERUNT

L. DE SAN, G. LAHOUSSE ET A. VERMEERSCH S

I. **Tractatus de Paenitentia**, in-8°, p. 689, auctore L. DE SAN, S. I. . 8,

II. **Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione et de Eucharistia**, in-8°, p. 822, auctore G. LAHOUSSE, S. I. . . 9,

III. **Tractatus de Virtutibus Theologicis**, in-8°, p 412, auct. G. LAHOUSSE, S. I. 5,

IV. **Tractatus de Gratia Divina**, in-8°, p. 708, auctore G. LAHOUSSE, S. I. . 10,

V. **Tractatus de Traditione et Scriptura**, in-8°, p. 508, auct. L. DE SAN, S. I. 8,

VI. **Tractatus de Deo Creante et Elevante**, auct. G. LAHOUSSE, S. I. . . 11,

VII. **Quaestiones Morales ad hodiernum usum, scholastice disputatae ab A. VERMEERSCH, S. I.**

Vol. I., pars altera. Quaestiones de religione et pietate, in-8°, p. XV-282 3,

Vol. II. Quaestiones de iustitia, in-8°, p. XXXVI-758 (3ª ed.) praeparatur.

VIII. **Tractatus de Ecclesia et Romano Pontifice**, auctore L. DE SAN, S. I. 9,